AN. LXXXVI SERIES VII FASC. I - AN. 1961

MONITOR ECCLESIASTICUS

56342

DESCLÉE - Romae

AN. LXXXVI SERIES VII FASC. I. AN. 1961

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

PRAESIDENTE
E.mo Card. **Arcadio Larraona**

MODERANTE
FLORENTIO ROMITA, a Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Promotor. Fidei S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Secretario Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Secret. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Pro-Datario — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Secr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 674.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 673.931

Periodico Trimestrale - Sped. in Abb. Post. - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IV - 1961.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

Tip. Edit. M. Pisani - Isola del Liri - 1961

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Sacra Congregatio Concilii:

I. Decretum: Novus Index statuitur dierum festorum quibus inest obligatio litandi pro populo. . . . . Pag. 7

II. Decretum: de servitio chorali novo rubricarum codici accommodando. (Adn. F. ROMITA) . . . . . » 9

IURISPRUDENTIA S. ROMANAE ROTAE

Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, Ponente. Nullitatis matrimonii et Dispensationis super rato. Sententia diei 18 dec. 1957 . . » 27

STUDIA ET CONSULTATIONES

BENDER, L., Confessio religiosae graviter aegrotantis . . . » 53

PUGLIESE, A. De specifica competentia S. Congr. de Disciplina Sacramentorum declarandi nullitatem matrimonii ad sensum c. 249 § 3. . . . . » 64

OCHOA, X, Sensus celebrationis coram Ecclesia in matrimonio putativo canonico . . . . . » 78

FERRANTE, N. Umanità e spiritualità nei documenti agiografici . » 118

RECENSIONES

PELLEGRINI, G.-J. *De affinitate in jure canonico.* (MARCONE, J.) . Pag. 129
PIAT, S. *Ricchi e poveri nel Vangelo* . (GREGNANIN, A). . . . » 130

DOCUMENTA

Allocutiones Joannis PP. XXXIII: I. Iis qui interfuerunt Conventui V ex omni natione, a Pont. Academia Thomasiana Romae coacto . . . . . » 132

II. De coniugii ac christianae familiae sanctimonia. . . . » 134

Parole di chiusura del Card. Agostino Bea alla settimana biblica italiana. (24 sett. 1960) . . . . . » 139

Conclusioni della XXXIII settimana sociale dei cattolici d'Italia . » 145

Unità e Papato nella Chiesa: discorso del Card. Montini pronunciato ad Assisi il 29 agosto 1960 alla Pro Civitate. . . . » 152

« Dies Domini »: discorso tenuto dal Card. Montini a Bergamo l'11 sett. 1960 per l'apertura del Congresso Eucaristico Diocesano. » 164

CHRONICA

Acta Joannis PP. XXIII. . . . . » 173

Acta SS. Congregationum . . . . . » 183

Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1961_73_1

SACRA CONGREGATIO CONCILII

I

DECRETUM

NOVUS INDEX STATUITUR DIERUM FESTORUM, QUIBUS INEST OBLIGATIO LITANDI SACRUM PRO POPULO.

Cum in novas Rubricas Breviarii et Missalis editas post Litteras Apostolicas « Rubricarum instructum » diei 25 mensis Iulii 1960 per Decretum Generale Sacrae Rituum Congregationis « Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem » diei 26 mensis Iulii 1960, quaedam variationes circa dies festos inductae fuerint, nonnulli Ordinarii locorum per varias Regiones constituti a Sacra Congregatione Concilii expostulaverunt ut, ad dubii atque perplexitatis occasionem auferendam circa dies, quibus est applicandum Sacrum pro populo, congrua aliqua ratio iniretur.

His itaque votis annuens, Sacra Congregatio Concilii, de mandato Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter Regnantis, indicem taxativum, qui sequitur, festorum, quibus, iuxta praescripta canonum 339 § 1 et 466 § 1 Codicis Iuris Canonici, in universa Ecclesia a die 1 Ianuarii 1961 inest obligatio litandi Sacrum pro populo, conficiendum statuit; idest:

FESTA DE PRAECEPTO

Dominicae I et II Classis.
Alia Festa I Classis in Calendario Ecclesiae Universae:

1. Nativitas Domini — 2. Dies Octavus Nativitatis Domini — 3. Epiphania Domini — 4. Ascensio Domini — 5. Festum SS.mi Corporis Christi — 6. Conceptio Immaculata B. Mariae Virginis — 7. Assumptio B. Mariae Virginis — 8. Festum S. Ioseph, Sponsi B. M. V. — 9. Festum SS. Petri et Pauli Apostolorum — 10. Festum Omnium Sanctorum.

FESTA NON DE PRAECEPTO

I Classis in Calendario Ecclesiae Universae:

1. Festum SS.mi Cordis Iesu — 2. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. — 3. Annuntiatio B. Mariae Virginis — 4. Festum Sancti Ioseph Opificis — 5. Dedicatio S. Michaëlis Archangeli — 6. Nativitas S. Ioannis Baptistae.

I Classis in Calendariis particularibus:

7. Festum Patroni principalis Nationis — 8. Festum Patroni principalis Regionis seu Provinciae sive ecclesiasticae sive civilis — 9. Festum Patroni dioecesis — 10. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis — 11. Festum Patroni principalis loci seu oppidi vel civitatis — 12. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae — 13. Titulus Ecclesiae propriae.

II Classis:

14. Nativitas B. Mariae Virginis — 15. Purificatio B. Mariae Virginis — Festa natalicia Apostolorum et Evangelistarum, scilicet: 16. Festum S. Ioannis — 19. Festum S. Mathiae — 20. Festum S. Marci — 21. Festum SS. Philippi et Iacobi — 22. Festum S. Iacobi — 23. Festum S. Bartholomaei — 24. Festum S. Matthaei — 25. Festum S. Lucae — 26. Festum SS. Simonis et Iudae.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 3 Decembris 1960.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

L. ✠ S.

P. Palazzini, *a Secretis*

II

DECRETUM

DE SERVITIO CHORALI NOVO RUBRICARUM CODICI ACCOMMODANDO

In Litteris Apostolicis « Rubricarum instructum » diei 25 mensis Iulii 1960 ad num. 3) edicitur: « Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quae his rubricis obstant, revocantur ».

Quare Sacra Congregatio Concilii, de mandato Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter Regnantis, statuit, ad servitium chorale quod attinet, ut locorum Ordinarii curent emendari statuta capitularia et abrogari praefata privilegia, indulta et consuetudines, quae dictis rubricis obstent.

Insuper declarat reductiones servitii choralis, quae a Sacra Congregatione Concilii fuerint concessae, adhuc vigere, si et quatenus praedictis rubricis haud obstent.

Petitiones autem reductionum servitii choralis vel earundem prorogationum a Capitularibus exarentur iuxta novas rubricas Breviarii et Missalis.

Contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, die 3 Decembris 1960.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

L. ✠ S.

P. Palazzini, *a Secretis*

ADNOTATIONES

SUMMARIUM: Decretorum occasio, praeparatio ac promulgatio 1.

I. QUOAD MISSAM PRO POPULO. Dies festi duplicis praecepti et dimidiati, suppressi seu « non de praecepto » 2. - Obligatio litandi pro populo iure antiquo 3. - Dies festi de praecepto juxta elenchum Urbanianum 4. - et jure Codicis juris canonici 5. - Correlativitas utriusque praecepti 6. - Criteria adhibita in exarando novissimo elencho Missarum pro populo: idem numerus ac antea et quidem taxativus; 7. - Dies duplicis praecepti; 8. - Dies « non de praecepto » I Classis. 9. - De Patronis, 10. - Distinctio inter S. Patronum et S. Titularem; II. - Dies « non de praecepto » II classis; 12. - Reductiones jam concessae, 13.

II. QUOAD SERVITIUM CHORALE. Reformatio legislationis particularis juxta novum Codicem liturgicum. 14 - Indulta choralia: an et quatenus valeant. 15 - Criteria pro expetendis indultis choralibus eorundemque prorogationibus. 16. -

1. Post promulgationem novi Codicis Rubricarum Breviarii et Missalis Romani per Decretum generale S. Rituum Congregationis diei 26 Julii a. 1960, Festum Inventionis S. Crucis (antea celebrari solitum die 3 Maii) expunctum fuit a Calendario liturgico.[1] Et quoniam praefatum Festum computatum fuerat inter Festa suppressa, in quibus aderat obligatio litandi pro populo,[2] quaesitum propositum fuit Sacrae Congregationi Concilii an huiusmodi obligatio exstincta exinde fuisset.

Revera, ut infra dicetur, obligatio fidelibus imposita audiendi Sacrum atque abstinendi a servilibus, et obligatio, inherens animarum curatoribus, litandi pro populo, per se sunt, et quoad fundamentum et quoad subiectum et quoad materiam, plane distinctae. Quare in praecedentibus mutationibus elenchi festorum, S. Sedes, nonobstante suppressione in favorem fidelium praecepti audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus in quibusdam Festis, responderat nihil immutatum fuisse quoad obbligationem animarum curatorum litandi pro populo iisdem diebus festis.[3] Attamen in Festo S. Crucis non fuit tantum suppressum ecclesiasticum praeceptum quoad fideles, sed ipsum Festum prorsus expunctum fuit a Calendario Liturgico.

Proinde quidam opinati sunt obligationem non amplius subsistere litandi pro populo in die, qui festus non amplius erat.

---

[1] Cfr. Variationes in Calendario ad normam novi Codicis Rubricarum, n. 8, lett. b.

[2] Cfr. infra n. 5.

[3] Cfr. infra n. 5

Poterat fortasse eadem obligatio ad subsquens Festum Exaltationis S. Crucis (die 14 Januarii celebrandum) transferri.

Sacra autem Congregatio Concilio, re in Congressu mature perpensa, censuit a quaestione particulari supra relata ad quaestionem generalem esse procedendum, adeo ut norma disciplinaris Missae pro populo novo Rubricarum Codici cohaerenter aptaretur; itemque statuit ut disciplina servitii choralis eidem Codici conformaretur.

Proinde constituta fuit Commissio mixta S. C. Concilii et S. C. Rituum, ut in subiecta materia congruam proponeret rationem; quam sane Summus Pontifex, referente Secretario S. C. Concilii, ratam habuit atque promulgandam iussit: quod profecto relatis Decretis factum fuit.

I. - QUOAD MISSAM PRO POPULO.

2. Ad dies festos quod attinet, duplex adest in Catholica Ecclesia praeceptum in lege divina fundatum; alterum respicit animarum curatores circa obligationem Sacrum litandi pro populo ipsis commisso [4]; alterum fideles circa obligationem audiendi Sacrum atque sese abstinendi ab operibus servilibus aliisque curis, quae impedimentum constituere possint dierum festorum sanctificationi. [5]

Quamvis haec duo praecepta inter se distincta sint, ut diximus, attamen in diebus festis per se utrumque praeceptum viget; qui ideo appellari solent « duplicis praecepti ».

His accedunt dies festi, qui « dimidiati » appellantur, quatenus, firma manente obligatione quoad animarum curatores applicandi Missam pro populo atque quoad fideles audiendi Sacrum, iidem fideles dispensatur ab operibus servilibus, lege civili vel gravi necessitate urgente.

Dies vero festi jam duplicis praecepti, in quibus ecclesiasticum praeceptum quoad fideles sublatum fuit, appellari solent « festa suppressa ».

---

[4] Cfr. Conc. Trident. sess. XXIII, de ref. c. I; Const. Ap. Bened. XIV « *Cum semper oblatas* » d. 13 aug. 1744 (*C. J. C. Fontes*, I, p. 826); Litt. Ap. Leonis XIII « *In suprema* » d. 10 Junii 1882 (*C. J. C. Fontes* III, p. 195); cann. 339 § 1 et 466 § 1 C. J. C. Cfr. LOMBARDI. *De pastorum obligatione applicandi Missam pro populo.* Romae 1940.
Cfr. can. 1248 C. J. C. et fontes ibid. in calce citatos.

Sunt denique dies festi, qui non sunt de praecepto quoad fideles; attamen inter « festa suppressa » adnumerari nequeunt, cum sint novae institutionis, ut, e. g., Festum S. Iosephi Opificis. Cum igitur omnia festa suppressa non sint quoad fideles de praecepto, uti magis adaequata adhibita nunc est, in subiecta materia, divisio inter « festa de praecepto » (quod duplex intelligi debet, sc. et quoad animarum curatores et quoad fideles), et « festa non de praecepto » (in quibus nempe duplex praeceptum haud viget, quatenus, firmo manente praecepto quoad animarum curatores, fideles non amplius tenentur obligatione audiendi Sacrum et sese abstinendi ab operibus servilibus, quia vel agitur de festis suppressis vel de festis novae institutionis sine obligatione quoad fideles).

3. Ut notum est, obligatio Sacrum faciendi pro populo, in genere, est juris divini, sive naturalis sive positivi; in specie autem seu in concreto (quinam sc. teneantur, quando, ubinam, quomodo) est juris ecclesiastici.

Praecisis ceteris, heic tantum illustrare oportet « quando » applicanda sit Missa pro populo.

Antiquitus statutum fuerat.[5] « Parochum pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere: cum vero qui uberioribus huiusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri » ... « in quibus (sc.) quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem »; quare « (§ 7) ... iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare tenentur ».

Profecto ex his regula statuitur imponendi animarum curatoribus litandi pro populo, quando fideles ex praecepto Sacrum audire debent.

Ut enim explicat Leo XIII[6] « ... facile intelligitur quam deceat, imo quam oporteat in diebus festis singulis (rem divinam) facere.

« Etenim festi dies singulari quadam ratione religioni addicti et consecrati sunt: per eosque, assueti intermissione laboris, christianis praecipitur plus operae iis rebus tribuere, quae ad exco-

---

[5] Cfr. Bened. XIV *Cum semper oblatas*, 17 Augusti 1744, n. 6-7 (*C. J. C. Fontes* I, 826).

[6] Cfr. Leo XIII *In suprema*, 10 Junii 1882 n. 4 (*C. J. C. Fontes* III, 195, n. 4).

lendum expiandumque animum pertinent; maxime vero augustissimo sacrificio interesse, quo creatori et gubernatori rerum omnium Deo debitum latriae cultum adibeant ».

4. Quoad dies festos determinandos, jam ab initio Ecclesiae dies dominica celebrabatur in memoriam Resurrectionis D. N. I. C. Postea, partim consuetudine, partim ab episcopis et synodis particularibus alii dies festi statuti sunt. Ut habet Urbanus VIII [7], ad S. Pontificem relationem pervenit « festorum multitudinem per singulas ... dioeceses atque Provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quaenum ex praecepto, quaeve ex libera cuiusque voluntate sint servanda ... »

Quare S. Pontifex declaravit « infrascriptos dumtaxat dies pro Festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo vel omnium gentium unanimis pietas veneratur: Dominicos scilicet totius anni, Nativitatis D. N. Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Sanctissime Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis et Judae et S. Mathiae Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papae et Confessoris, S. Josephi item Confessoris, et S. Annae Deiparae respective Sponsi ac Genitricis, Solemnitatis Omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioribus in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit ».

Totaliter 87 dies inter dominicos (52) et festos (35): etenim Resurrectio D. N. I. C. et Pentecostes jam computatae sunt inter dies dominicos.

Clemens autem XI Const. *Commissi Nobis* d. 6 Dec. 1708 [8] addidit Festum Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae. Unde numerus dierum festorum de duplici praecepto ascenderat ad 88 annuos.

---

[7] Cfr. Urbanus VIII, *Universa*, 17 Sept. 1642 § 2 (*C. J. C. Fontes*, I, 427 ss).
[8] Cfr. *C. J. C. Fontes* I, 523 n. 265.

Antiquum vero jus Episcoporum festa particularia in suis dioecesibus instituendi, Constitutione Urbaniana sublatum est, ceu declaravit S. C. Concilii die 23 Junii 1703 [9]. Eoque minus introduci possent dies festi de praecepto ex consuetudine aut voto fidelium aut locali conventione aut alio quovis modo [10]. Quare S. Sedes quaedam festa, in Regno Neapolitano peculiariter uti de duplici praecepto servata, suppressit [11]; firma tamen semper manente obligatione quoad animarum curatores litandi pro populo [12].

Praeterea, instantibus civilibus Guberniis quaedam festa, quae duplicis erant et sunt praecepti in universa Ecclesia, vel abolita fuerunt, vel translata vel dimidiata in aliqua Natione [12a]. Unde S. Pius X, sequens edidit *Motu Proprio* de diebus festis [13].

« Supremi Disciplinae Ecclesiasticae custodes et Moderatores Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id Ipsis suaderet, sacrorum Canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem Ipsi, quemadmodum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperandam censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur quibus est victus labore comparandus.

« His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

---

[9] *S. R. C. Decr. Auth.* n. 2113 ad 2m.

[10] *S. R. C. Decr. auth.* n. 834, 2113, 2261.

[11] Cfr. Pius VII, Br. *Paternae caritatis*, 10 Aprilis 1818 (*S. R. C., Decr. auth.* n. 2589).

[12] S. C. C., 18 oct. 1818 (*S. R. C. Decr auth.* n. 2589).

[12a] Cfr. Indultum Apostolicum diei 9 Aprilis 1802 a Card. Caprara promulgatum circa suppressionem quorundam dierum festorum in Gallicana republica. S. C. Concilii in *Mechlinien.* d. 25 Sept. 1867: cfr. Lingen et Reuss. *Causae selectae* etc. Ratisbonae 1871, pag. 783 ss.

[13] Cfr. Motu Proprio *Supremi disciplinae* d. 2 Julii 1911 (*A. A. S.* III, 305-307). Quoad variationes successivas cfr. *Decreta auth. S. R. C.*

« Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

« Itaque, Motu Proprio et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui ad Ecclesiae leges in Codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda.

« I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

« III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

« IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopis conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

« Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum praeceptum curaturos ».

Pronum est huiusmodi festorum reductionem fideles tantum, quoad praeceptum audiendi Sacrum etc., respicere, non autem animarum curatores quoad Missam pro populo. Sacra enim Congregatio Concilii, affirmative in omnibus respondit:

« I. An in festis nuperrimo Motu Proprio suppressis quoad forum, nempe Ss.mi Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Ioseph Sponsi eiusdem B. M. V., S. Ioannis Apostoli et Evang., et Patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

« II. An in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti sive quoad officiaturam choralem, sive quoad solemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

« III. An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

« IV. An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat » [14].

Idemque eadem S. C. Concilii jam declaraverat quoad festa peculiaria in Regno Neapolitano suppressa, ut supra dictum est.

5. C. I. C. autem statuit [15] animarum curatores « omnibus dominicis aliisque festis de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare ».

Quinam autem fuerint dies festi sub praecepto in universa Ecclesia definivit can. 1247 § I.

Ceteri dies festi uti suppressi retinendi ergo erant; quamvis can. 1247 § 2 explicite ab ecclesiastico praecepto exemisset tantum dies festos Patronorum. Hic Pont. Commissio ad canones C. I. C. authentice interpretandos interrogata: « Quinam sint festa suppressa, de quibus in cc. 339 § I. - 466 § I, respondit: « Nihil hac in re per Codicem juris canonici immutatum esse a disciplina hucusque vigenti » [16].

Praeterea, ad omnem aequivocationem tollendam, S. C. Concilii exaravit elenchum festorum suppressorum [17], edicens:

« Statim ac per responsum diei 17 februarii 1918 a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos declaratum fuit, nihil per Codicem iuris canonici immutatum esse a disciplina hucusque vigente quoad dies festos suppressos, quibus in universa Ecclesia obligatio adnexa est missam pro populo applicandi, quidam locorum Ordinarii ab hac S. Congregatione Concilii suppliciter postularunt ut, ad commodiorem quorum interest notitiam, index festorum in universa Ecclesia suppressorum de quibus agitur denuo auctoritative publici iuris fieret. His itaque votis annuens, haec S. Congregatio, ad normam Constitutionis Urbani VIII *Universa per orbem* diei 13 septembris 1642, indicem qui sequitur festorum suppressorum, quibus, iuxta praescripta canonum 339, § 1, et 466, § 1, Codicis, in universa Ecclesia inest onus litandi Sacrum pro populo, edendum statuit, idest:

Feriae II et III post Dominicam Resurrectionis D. N. I. C., et Pentecostes;

---

[14] Cfr. *Romana et Aliarum. Dubia circa dies festos recenti Motu Proprio « Supremi disciplinae suppressis »*. (*A. A. S.* III, 391).

[15] Cfr. cc. 339 § 1-466 § 1.

[16] Cfr. *A. A. S.* X, 170 ad II.

[17] Cfr. *A. A. S.* XII, 43.

Dies Inventionis S. Crucis;
Dies Purificationis B. Mariae Virginis;
Dies Annuntiationis B. Mariae Virginis;
Dies Nativitatis B. Mariae Virginis;
Dies Dedicationis S. Michaëlis Archangeli;
Dies Nativitatis S. Ioannis Baptistae;
Dies Ss. Apostolorum: Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae;
Dies S. Stephani Protomartyris;
Dies Ss. Innocentium;
Dies S. Laurentii Martyris;
Dies S. Silvestri Papae;
Dies S. Annae, Matris B. M. V;
Dies S. Patroni Regni;
Dies S. Patroni loci ».

Insuper, juxta ea quae jam antea declaraverat pro festis suppressis Regni Neapolitani [18], ad dubium « An obbligatio applicandi Missam pro populo diebus festis suppressis, olim ex jure particulari de praecepto, existat in casu », respondit: « Affirmative » [19].

6. Ut apparet ex citato excursu, ab initio festa importabant per se duplex praeceptum, alterum quoad animarum curatores, alterum quoad fideles; utrumque correlativum, ita quod animarum curatores pro populo applicabant quotiescumque fideles ecclesiam adibant Sacrum ex praecepto audituri [20].

Unde statui potest principium correlativitatis: quotiescumque sc. fideles obligantur ex praecepto ad audiendam Missam, animarum curatores tenentur ad litandum pro populo: quod quidem principium correlativitatis erat reversibile.

Postea huiusmodi reversibilis correlativitas interrupta fuit in festis suppressis, et quidem in favorem fidelium, qui ecclesiastico praecepto propter immutatas rerum hominunque conditiones non amplius adstringebantur praedictis festis, dum animarum curatores in iisdem festis, etsi juris particularis, ad litandum pro populo obligati permanserunt.

Suppressio autem in Ecclesia universa facta fuit relate ad elenchum Urbanianum festorum; in Ecclesiis vero particularibus relate ad elenchum festorum ex pontificia concessione inductorum

---

[18] Cfr. supra n. 4.
[19] S. C. C. in *Toletana et Aliarum*, 19 Julii 1930 (*A. A. S.* XXII, 521).
[20] Cfr. supra n. 3.

in easdem particulares Ecclesias; firma semper suppressione festorum in Ecclesia universa.

In Festorum autem duplicis praecepti translatione principium correlativitatis semper viget. Etenim can. 339 § 3 statuit: « Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* ». Hinc dies, in quo viget ecclesiasticum praeceptum quoad fideles, est determinativus diei, in quo animarum curatores obligantur ad litandum pro populo, vi sane praefati principii correlativitatis.

Quare currenti anno 1961, cum Festum S. Ioseph celebratum fuerit die 20 Martii (sc. die sequenti Dominicam Passionis), quin tamen ad eundem diem translatae fuerint obligationes audiendi sacrum et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda erat in die *a quo;* et quidem unica, sc. pro Dominica Passionis et pro festo S. Ioseph, ad normam can. 339 § 2.

7. In exarando autem novissimo elencho Missarum pro populo, quaedam criteria adhibita fuerunt, prae oculis habitis praescriptis novi Codicis liturgici.

In primis cautum fuit ut numerus dierum, in quibus animarum curatores ex jure communi litare pro populo ex nunc deberent, idem esset ac antea, ne populus minorem haberet fructuum Missarum quantitatem neque animarum curatores plus aequo gravarentur.

Praeterea, cum propter canonicas causas, S. Sedes aliquando indulserit ut numerus Missarum pro populo minui posset (supplente tamen Summo Pontifice de thesauro Ecclesiae quoad fructuum Missae quantitatem populo attribuendam), opportunum visum est eundem numerum Missarum pro populo praefinire, ut praefata eiusdem numeri reductio integra servari posset.

Quare, firmis manentibus diebus festis duplicis praecepti (seu 52 dies dominici et 10 dies festi, complexive igitur 62, de quibus in can. 1247 § 1), additi sunt 26 dies festi « non de praecepto » loco 26 dierum festorum suppressorum, de quibus in elencho S. C. Concilii a. 1919.

Nunc igitur expeti potest ut indulta, sive dispensationis ab obligatione litandi pro populo diebus suppressis jam concessa a S. C. Concilii, vel binationis seu trinationis pro iisdem diebus item concessa a S. C. da Sacramentis, ex nunc valere possint pro diebus festis « non de praecepto » juxta novissimum elenchum a S. C. Concilii promulgatum, ut infra dicetur.

Ut vero incertitudinis atque varietatis periculum auferetur, S. C. Concilii indicem Missarum pro populo sive pro Ecclesia Universa, sive pro Ecclesiis particularibus, uti « taxativum » promulgavit, cui ideo ab omnibus nunc standum est, nonostante suppressione aut translatione alicuius festi a S. Sede concessa pro aliquibus Nationibus; abolitis tamen praecedentibus elenchis et Ecclesiae Universae et Ecclesiarum particularium antea legitime statutis; eoque minus adest obligatio applicandi Missam pro populo in festis non a S. Sede legitime concessis, sed ex consuetudine vel devotione, vel voto, vel alio quovis titulo indebite introductis atque jam expunctis resolutione S. C. Concilii d. 8 Augusti 1911 ad III [21].

8. Insuper, juxta principium correlativitatis supra expositum [22] et can. 339 § 1, 466 § 1 coll. cum can. 1247 § 1 C. J. C., obligatio litandi pro populo confirmata fuit in diebus Dominicis et Festis de praecepto, quamvis quaedam Dominicae sint II classis, dum quaedam Festa I classis sunt « non de praecepto ». Etenim classificationi liturgicae festorum praevalet praeceptum ecclesiasticum quoad fideles in determinandis diebus, in quibus litandum est pro populo, juxta praefatam regulam correlativitatis praecepti in diebus festis: quod quidem tenet etiam in festis de praecepto a S. Sede concessis in peculiaribus locis.

Quid juris in diebus festis per se duplicis praecepti juxta can. 1247 § 1 coll. cum cann. 339 § 1 et 466 § 1 C. J. C., qui tamen in aliquibus Nationibus a S. Sede suppressi sunt?

Nonobstante huiusmodi suppressione, animarum curatores tenentur litare pro populo, attenta natura taxativa elenchi Missarum pro populo nuper a S. C. Concilii promulgati.

In ceteris diebus festis suppressis, de quibus in elencho S. C. Concilii a. 1919, obligatio non amplius viget, sed standum est novissimo elencho festorum « non de praecepto » ab eadem S. C. Concilii nuper edito.

9. In determinandis autem festis « non de praecepto », in quibus litandum est pro populo, classificato liturgica per se praevalet. Unde statutum est ut obligatio litandi pro populo in primis vigeat in Festis « non de praecepto » I classis. Exclusa tamen fuit commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, in qua non solum

---

[21] Cfr. supra n. 5.
[22] Cfr. supra n. 6.

animarum curatores, sed omnes sacerdotes duas Missas jam applicant pro populo, quarum unam pro omnibus fidelibus defunctis, alteram ad mentem S. Pontificis.

Pariter quoad Festa I classis enumerata in Calendariis particularibus, exclusa fuerunt Festa, quae vel sunt propria Religiosorum, vel sunt propria et indulta (mobilia aut fixa) alicuius loci, nisi tamen agatur de festis duplicis praecepti a S. Sede concessis in locis particularibus.

Quare, firma manente obligatione litandi pro populo:

in diebus festis de praecepto in Ecclesiis particularibus ex indulto pontificio,

in Ecclesia universa in diebus festis de quibus in can. 1247 § 1 C. J. C., etiamsi in aliqua Natione suppressis; in 26 diebus festis « non de praecepto », de quibus in novissimo elencho a S. Congregatione Concilii promulgati;

in ceteris festis (quae olim appellabantur suppressa, nunc vero « non de praecepto ») Ecclesiae universae vel Ecclesiarum particularium obligatio litandi pro populo non amplius viget, attenta natura taxativa praefati elenchi S. C. Concilii.

Item nulla adest obligatio litandi pro populo in Festo inducto per modum actus ab Ordinario ad normam can. 1244 § 2 C. J. C.

10. Quaedam nunc illustranda sunt quoad Festa Patronorum. In primis, quoad Patronos eligendos standum est decreto Urbaniano [23], qui hunc ordinem servari mandavit:

« I. Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

« 2. Quod Patroni Civitatis electio fieri debeat a populo mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab officialibus solum; et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi et Cleri illius Civitatis. Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum Civitatum Provinciae, non autem a repraesentatibus Regnum, nisi hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi et Cleri dictarum Civitatum.

« 3. Quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci ac examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari ».

---

[23] Cfr. *Decr. auth. S. R. C.* n. 562, diei 23 Martii 1630; cfr. can 1168 C. J. C.

Attamen quoad Patronos ante Decretum Urbanianum existentes, nihil innovetur; in dubio autem legitimitatis recurrendum ad S. R. C. pro eorundum Patronorum designationis et electionis ratihabitione [24] vel pro gratia sanationis, quatenus opus sit [25].

Si vero plures adsint Patroni principales legitime constituti vel etiam si legitimus adsit distinctus Patronus principalis et pro Regione et pro Provincia ecclesiastica et pro provincia civili, quemadmodum jam praeseripserat Urbanus VIII Const. *Universa* (v. n. 4), unus tantum designetur, omnibus perpensis, a locorum Ordinariis principalior Patronus, in cuius Festo applicatur Missa pro populo; attenta natura taxativa elenchi a S. C. Concilii nuper exarati, in quo una tantum assignatur Missa pro populo in Festo Patroni.

11. Ne tamen confundatur Sanctus Patronus, de quo in can. 1168 C. J. C., cum Sancto Titulari cuiusdam Ecclesiae, de quo in can. 1278 C. J. C.; nisi idem Sanctus et Titularis sit cuiusdam Ecclesiae et simul Patronus principalis alicuius loci vel oppidi vel civitatis, vel dioecesis, vel provinciae, vel Nationis [26]; quibus in casibus una applicanda est Missa pro populo.

In loco autem vel dioecesi, vel provincia ecclesiastica, vel Natione, in quibus deest Sanctus Patronus principalis rite approbatus, obligatio applicandi pro populo interim deest. At si postea huiusmodi Patronus rite designetur et a S. R. C. approbetur, statim praefata obligatio exurgit [27].

Ad anniversarium quod attinet Dedicationis Ecclesiae propriae S. R. C. aliquando indulget ut in tota dioecesi celebretur unico die ab Episcopo proposito; atque ideo S. C. Concilii pariter indulget ut Missa pro populo illo eodem die ab animarum curatoribus totius dioecesis applicetur.

12. Cum vero dies festi de praecepto sint 62, quorum 52 dominici et 10 alii I classis (de quibus in can. 1247 § 1), cumque dies festi I classis « non de praecepto » sint 6 in Calendario Ecclesiae Universae et 7 in Calendariis particularibus; simul ideo 75; ad complendum igitur numerum Missarum pro populo antea vigentem (88 sc.), ex Festis « non de praecepto » II classis Ecclesiae Universae electa fuerunt duo festa B. M. Virginis (Purificatio et Nativitas) et undecim festa natalitia Apostolorum et Evangelistarum.

---

[24] Cfr. *Decr. auth. S. R. C.* n. 3825, cfr. can. 1278 C. J. C.
[25] Cfr. *Decr. auth. S. R. C.* n. 3400, in *Ruremonden*, d. 27 Maii 1876 ad. VI
[26] Cfr. *Decr. auth. S. R. C.* n. 3048, in *Briocen*, 9 Maii 1857.
[27] Cfr. *S. C. Concilii* in *Faliscuden.* d. 10 Dec. 1955 n. 8310/D.

Animadvertatur tamen quod, nonobstante natura taxativa elenchi a S. C. Concilii exarati, planum profecto est impossibile fore certum omnino numerum Missarum pro populo praefinire semel pro semper in Ecclesia Universa, multoque minus in Ecclesiis particularibus. Huiusmodi enim numerus multoties variare potest propter rationes antea allatas [28].

Praeterea, vi can. 339 § 2, si quodam die plures dicantur Missae (ut in Nativitate D. N. I. C. vel ex indulto binationis aut trinatrionis) vel duo vel plura festa de praecepto coincidant (ut puta si quod festum de praecepto incidat in Dominicam, vel etiam si Festum Patroni principalis Nationis sit simul dioecesis vel loci etc. huiusmodi) una applicanda est Missa pro populo.

E contra si quod festum incidat in feriam VI Maioris Hebdomadae, cessat, ut patet, obligatio applicandi pro populo.

13. Demum Missarum pro populo reductiones, quae forte hucusque fuerint concessae a S .Sede, adhuc vigere pergunt ad exspirationem usque indulti pontificii. Imo Sacra Congregatio Concilii declaravit dispensationes concessas ab obligatione litandi pro populo 26 Festis « suppressis », juxta elenchum S. C. C. a 1919, nunc valere pro 26 Festis « non de praecepto » novissimi elenchi eiusdem S. C. Concilii.

Pariter S. C. de Sacramentis indulget ut rescripta, jam concessa binandi seu trinandi etiam 26 diebus festis suppressis, nunc valeant pro dictis 26 diebus festis « non de praecepto ».

II. - QUOAD SERVITUM CHORALE

14. Attenta revocatione eorum omnium, quae per « statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam saecularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna », rubricis novi codicis liturgici obstant, S. C. Concilii statuit, ad servitium chorale quod attinet, ut Ordinarii locorum curent huiusmodi revocationem applicari in Capitulis iisdem subiectis. Quare Ordinarius loci praefiniat oportet unicuique Capitulo suae jurisdictionis congruum temporis spatium, non ultra semestre ad mentem can. 410 § 3 C. I. C., intra quod Capilulares, ad mentem cit. can. 410 § 2, ac firmo praescripto § 3 eiusdem can. 410, emendare possint, in iis quae novis Rubricis obstant, statuta capitularia; simul expungentes privilegia, indulta et consuetudines, quae iisdem Rubricis sunt opposita.

---

[28] Cfr. supra n. 6, 8-11.

Quae quidem statuta, ita emendata ac purgata, « approbanda subiiciantur Episcopo, sine cuius auctoritate postea nec abrogari possunt nec mutari ». (can. 410 § 2).

15. Indulta autem, quae respiciunt tantum reductionem servitii choralis, non sunt revocata, cum per se novis rubricis haud obstant.

Si quando vero oppositio adsit, tunc ad S. C. Concilii recurrendum pro moderatione eiusdem indulti iuxta praefatas novas Rubricas.

Ita e. g. indultum anticipandi ad horas antemeridianas recitationem Vesperarum et Completorii, ne Capitulares bis in die chorum adire debeant, abrogatum est. Quare, nisi Capitulares post meridiem chorum adire velint ac possint, necesse est ut ad S. C. Concilii recurrent pro dispensatione. Quam profecto eadem S. Congregatio concedere solet ex iusta causa, iniungens tamen ut mane Laudes vel Horae minores recitentur (si forte Capitulares ab earum recitatione dispensati jam fuerint), ad praefatam dispensationem compensandam.

16. S. C. Concilii mandavit insuper ut petitiones reductionum servitii choralis, vel earundem prorogationum, a Capitularibus exarentur iuxta novas Rubricas Breviarii et Missalis Romani.

Quare in dictis petitionibus auferantur ea omnia quae praefatis Rubricis obstant. Cum enim haec, etsi per statuta, privilegia, indulta vel consuetudines cuiuscumque generis jam vigentia, abrogata fuerint; irrationabile esset haec eadem denuo nunc inducere per nova indulta. Proinde S. C. Concilii huiusmodi indulta, si forte expetita ab eadem fuerint, non concedit.

Praeterea in reductionibus servitii choralis expetendis ratio habeatur novissimae classificationis dierum liturgicorum, ita quod reducatur chorale servitium incipiendo a diebus liturgice minus nobilibus.

Attamen evenire potest ut Capitulares, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, pastorali ministerio iudicio Episcopi incumbere debeant. Et quoniam « salus animarum suprema lex est », S. C. Concilii his in adiunctis classificationi liturgicae dierum praeponit necessitates pastorales fidelium; atque ideo reductiones servitii choralis concedit iuxta praefatas necessitates, clausulam apponens, vi cuius Capitulares sic dispensati pastorali ministerio attendere debeant iudicio Episcopi absque speciali retributione.

FLORENTIUS ROMITA

JURISPRUDENTIA

SACRAE ROMANAE ROTAE

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii et Dispensationis super rato

(Sententia diei 18 decemb. 1957)

Species facti. - Qui ab annis, jam, puellam Mariam Theresiam, gratia ac juventute praefulgentem, intento animo prosequebatur, juvenis medicus dentarius Emmanuel, denique tandem, currente anno 1936, sive parentum, sive puellae eiusdem obtento consensu, eam sibi despondere potuit. Erat tunc ista in decimo septimo aetatis suae anno; vir, autem, in vigesimo octavo.

Tempus sponsalitium, ad quatuor fere annos protractum, haudquaquam liquido cucurrit: siquidem, vir ingenium asperum manifestabat, ita ut sponsa vix umquam eum vere diligere incoeperit, imo necessitudinem solvere aliquando sategerit.

Sed etiam aliud extitit anxietatis motivum pro puella: ut erat, nempe, usque ab infantili aetate, puerorum amantissima, nihil antiquius habuit quam, per matrimonii celebrationem, floridam condere familiam, prole exornatam. Unde, medicos adeundos tenuit ad sententiam habendam de sua ad generandum aptitudine, et sponsum, non una vice tantum, compellere tentavit ut et ipse inspectioni medicae se submitteret. Qui tamen restitit, asseverans se esse validum imo et mulierem quamdam, in praeteritum, matrem reddidisse.

Siluit ergo puella, morem gerens parentibus, quibus matrimonium istud, undequaque conveniens, maxime cordi erat, quique proinde instabant ne filia, reclamando res valde miras et insolitas, sponsum conturbaret.

Itaque, die 21 septembris 1940 matrimonium initum est.

Currente vita communi, cum mulier frequenter animo cruciaretur ob coniugii sterilitatem, adhuc pluries medicum, sollicita, consulendum statuit, favorabilem semper diagnosim suscipiens: lustro autem inutiliter transacto, voluit denique, quin imo imposuit, ut etiam vir inspectioni et examini subiiceretur.

Sententiarunt profecto medici, seminis quoque examine peracto, virum imparem ad procreandum haberi debere.

Vix non illico, Maria Theresia, nuntio huiusmodi accepto, contubernium fregit. Nec multo post, conaminibus conciliationis repulsis, libellum obtulit, die 18 septembris 1945, Curiae competenti, matrimonium nullitatis accusans, sive e condicionibus adpositis, et non verificatis, sive ex impotentia viri ob carentiam seminis.

Processus instructio non absque difficultate in praelaudata Curia lento pede processit: unde, novus patronus, ab actrice constitutus, petivit atque obtinuit quod causa, in prima et ulterioribus instantiis, apud Tribunal Apostolicum definiretur.

Igitur, de mandato Signaturae, acta ad S. Rotam missa sunt. Heic, in primo turno, die 2 februarii 1954, utrumque nullitatis caput negativa decisione dimissum est.

Appellante actrice, de negocio iterum vidit alter turnus Rotalis, qui, sub die 24 julii anni eiusdem, praecitatam sententiam confirmandam tenuit.

Recurrente actrice ad obtinendam novam causae propositionem, eius petitioni, solummodo quoad alterum caput, i. e. quoad viri impotentiam, satis factum est: sed, die 31 octobris 1956, negativa adhuc prodivit sententia.

Actrix tamen non acquievit, sed institit, enixe adprecans, in hoc praesenti Rotali turno, ut beneficium novae audientiae ipsi eidem, etiam quoad primum caput, i. e. quoad condicionem de habilitate ad procreandum, concederetur.

Re mature perpensa, auditisque audiendis, decrevit turnus, sub die 28 martii 1957: « Dilata, et interim novi constituantur periti, ut votum proferant, vi actorum, de praetensa viri conventi impotentia ».

Quibus ad exsecutionem perductis, et, interim, sub die 22 octobris 1957, facultate quoque obtenta videndi, si et quatenus, de matrimonii inconsummatione, iterum turnus, die 28 octobris 1957, decernendum tenuit: « Causam ab imis, et ex integro, pertractandam denuo esse ».

Unde, citatis Defensore vinculi et reo convento, de sequentibus dubiis disputandis statutum est, videlicet:

1°) - An constet de matrimonii nullitate: vel ob condicionem, a muliere adpositam et non verificatam (de habilitate viri ad finem matrimonii primarium obtinendum); vel ob viri impotentiam: et, quatenus negative:

2°) - An consilium praestandum sit Sanctissimo Domino, pro dispensatione elargienda super matrimonio rato et non consummato.

IN IURE

A. - *De impotentia*

Materiam hanc - ut nemo non novit - praescripta attingunt can. 1068 C. J. C.: in quibus nonnisi juris naturalis dictamina reassumuntur ac positive promulgantur.

Item, constat impotentiam verificari in mare nedum quoties, e nervei systematis imbecillitate, membrum erigi non potest, vel non tantum, nec tam diu, ut satis sit ad aliqualem penetrationem consentiendam; sed etiam cum verum semen non producitur, vel, etsi productum, ad extra ejaculari nequit, ob utriusque viae spermaticae totalem occlusionem.

Ubi (ut in praesens) accusatio virilis impotentiae respicit morbum seu vitium existens in testiculis, qui ambo dicuntur inepti ad conficiendum semen, res maxime ardua est ad definiendum: non enim licet, prout S. Officium declaravit, et Summus Pontifex f. r. recenter confirmavit, materiam examinandam extrahere per masturbationem, aut per coitum condomatum, et, aliunde, alia extractionis media (per punctionem etc.) non sine periculo ponuntur, aut sine gravi patientis incommodo.

Nec - ut pluries a peritis affirmatum est - unum tantummodo examen, ubi exitus negativus succedat, sufficiens haberi potest, in genere, i. e. nisi aliquod aliud elementum succurrat, ad impotentiam patientis tuto constabiliendam, ac morali certitudine declarandam.

His non obstantibus, a priori non excluditur talem certitudinem efformari posse ex complexu et summa circumstantiarum et adiunctorum una simul conspirantium: ubi, equidem, non unumquodque eorum, in se, et seorsim ab aliis, exigatur, sed omnia, una simul, attentissime accipiantur et pensentur.

B. - *De condicione*

Heic, sub condicionis nomine, venit « circumstantia actui adiecta, ex qua ipse actus pendet », i. e. valor juridicus actus eiusdem.

De huiusmodi, in praesenti legislatione, videatur can. 1092 C. J. C. -

Generatim, ab aliquo nupturiente condicio apponitur consensui conjugali, quoties iste summo pretio habeat existentiam (vel inexistentiam) in comparte alicuius rei, quae de se, quacumque ex causa, patens atque evidens non sit, nec talis plane fieri possit saltem eo tempore quo condicio ponitur.

Igitur, condicionis appositio quoad ea, quae (si compars praesens adsit et physice cognoscatur) sensibus percipi possunt, ne intellegi quidem potest. Ita, verbigratia, si quis adstanti sponsae diceret: « Contraho tecum, dummodo sis viva; aut foemina; aut non caeca, non claudicans, et ita porro », evidenter istum, si sanae men-

tis sit, pro joco ita locutum esse praesumere deberemus, eiusque supra enunciata verba vel tamquam veram condicionem exprimentia haberi nequirent, vel pro non adiectis aestimari deberent.

Non item, si compars physice absens sit (saltem, quoad nonnullas e condicionibus supra recensitis), vel adhuc physice nota non est.

Qui casus postremus non pure theoreticus est: constat enim multos, praesertim durante bello, sponsalicium nodum nexuisse cum personis e commercio litterarum solummodo notis, et per procuratorem cum istis contraxisse.

Quoties alicuius rei praesentia (ut puta: dotis) vel absentia (ut puta: morbi) ita aestimatur, ut matrimonium nullo modo jucundum, felix, pacificum, jure vel injuria, habeatur, nisi debitae cautiones circa optatum praestentur, tunc - uti par est - voluntas, *eaque praevalens omnino,* non erga matrimonium, ut tale, dirigitur, sed praesertim erga notam, quae praesens aut absens exoptatur: qua verificata, consensus regitur et sustinetur; qua deficiente, consensus simpliciter non existit (Cfr. Commissio Spec. Pontif., coram Exc. Jullien, diei 30 januarii 1957, ubi, inter alia, legere datum est: « Quocirca, qualitas, quae antea contractui locum dederat, potest transire in veram condicionem, a qua contrahendum matrimonium pendet, quoties novus ponatur actus voluntatis, quo contrahens *potius illam qualitatem, quam ipsum matrimonium, positive vult* »).

Exinde, jam liquido patet quo sensu, et quo modo, intelligendus et accipiendus sit ille « status dubii », qui in jurisprudentia Rotali saepe indicatur ut verae condicionis, consensum afficientis, signum seu symptoma *necessarium* (coram Quattrocolo, 16 junii 1930; coram Grazioli, 17 julii 1933; coram me ponente, 18 martii 1950, etc.).

Scripta reperiuntur, ad hoc, in prima ex decisionibus in hac causa latis: « Ad veram constituendam condicionem requiritur praeterea dubium quoad existentiam qualitatis optatae.

Ut legitur in pluribus S. Rotae decisionibus, deficiente dubio, *appositio verae condicionis est moraliter impossibilis...*

Sed non de quolibet dubio agi debet, sed de iis quae oriuntur ex aliqua particulari circumstantia, seu ex aliquo facto - ut dicitur - concreto. Dubia, enim, quae ex nullo peculiari facto nascuntur, manifestant tantum quamdam generalem animi sollicitudinem seu timorem relate ad non existentiam optatae qualitatis, sed satis non sunt ad actum positivum voluntatis subordinantis proprium consensum existentiae eiusdem qualitatis, praesertim si, peractis opportunis investigationibus, genericum quoque dubium cessaverit ».

Quod, forte, nimium est, et ut nimium aestimatur etiam a subsequenti Turno Rotali.

Magis perspicue res pertractatur in una coram Felici, diei 17 januarii 1956: « In primis est considerandum dubium...: non quod sine dubio condicio haberi nequeat, sed quia, re psychologice spectata, nemo ad condicionem apponendam ducitur, nisi dubio aliquo angatur, vel obiectivo, vel subiectivo, licet pathologico... Non est autem necessarium ut dubium usque ad momentum celebrationis perseveret: condicio enim perseverare potest, et vim suam exercere, licet dubium, per asseverationem compartis, vel ope aliorum argumentorum, sublatum videatur ».

Igitur nihil obstat quod persona quaevis, veluti « ideam fixam » persequens usque a prima juventute, *isto pathologico quodam modo*, secum firmiter constituat (longe ante quam de concreto matrimonio quaestio exsurgat) absolute exigere, ad coniugii felicitatem, praesentiam (vel absentiam) certae alicuius rei: quam proinde eligit, et omni nisu vult, actu positivo et praevalenti: cui cetera omnia, et ipsum matrimonium (quodcumque erit, et quacumque convenientia praefulgat), subordinata esse debebunt. Id, equidem, non quia persona ista, de qua in hypothesi, *aliquo peculiari facto* (sunt verba sententiae primae instantiae) angitur ac turbatur, et exinde dubium concipit in concreto; sed simpliciter quia cautione maxima se communire vult adversus id, quod ignorat, et adhuc practice novisse nequit, quodque, juxta eius mentis formam, certissime insidiaret quodlibet futurum connubium.

Haec autem ne dicantur nova aut peregrina: etenim, jam a veteribus probatis AA. tradebantur, ut a praecl. Card. D'Annibale, cuius verba haec sunt: « ...si tibi, in corde tuo, propositum sit nolle te Seio nubere, vel Caiam ducere, nisi his aut illis qualitatibus praeditus, seu praedita sit, matrimonium (licet propositum huiusmodi alterum penitus lateat), consensu deficiente, ne intelligi quidem potest.

Quid, si non id intendas (quia hoc non cogitas), sed animo ita comparatus sis, ut nolis his qualitatibus deficientibus matrimonium contrahere: v. g., si nolis ullam, nisi virginem, ducere? Et, si aliquando id tecum ipso constitueras, *prior haec voluntas praevalet*, atque ideo matrimonium non valet (Sanchez, IX, 10, 11); sin minus, voluntas haec magis interpretativa est, quae - ut dixi - nihil praestat » (*Summul. Theol. Mor.*, p. III, p. 370, § 444; v. etiam N. 16, p. 371).

Ex dictis profluit dubium illud, ex quo condicio genesim trahit, seu trahere potest, de plano coincidere, saltem aliquando, *cum incertitudine de aliqua re*, quae inter omnia et super omnia, idest

super ipsum matrimonium, exoptatur, et quovis pretio consequenda decernitur: ita ut, deficiente illa, matrimonium, etsi materialiter contractum, pro infecto, seu pro nullo habetur, saltem in aestimatione contrahentis.

Nec tenendum est quod condicio, cui sic ortum datur, irritans robur amittat ex eo, quod, sive dolo alterius partis sive falsa cuiuscumque asseveratione, sive errore et ignorantia ipsius contrahentis, incertitudo, de qua diximus, practice elidatur. Nam, data verae condicionis appositione, falsa quae sequitur aestimatio rei veritatem mutare non potest. Audiatur adhuc cl. D'Annibale: « At, cum impletur (condicio), vel cum deficit, *ipso iure*, atque ideo continuo, vim suam exserit, tametsi lateat impletam fuisse, vel defecisse.

Quamobrem, sponsalibus initis sub ea condicione ut, si parentes consenserint, rata fiant, vel rata maneant; his consentientibus statim obligant...; dissentientibus, illico evanescunt, sive sponsi sciant parentes consensisse vel dissensisse, sive id ignorent » (*O. c.*, I, § 41, p. 84; cfr. etiam n. 31).

Quod pariter valere tenendum est, ubi sponsi, falsa de dato consensu parentum notitia accepta, vel, utcumque, ad condicionem supra descriptam non amplius attendentes (non autem expresse revocantes), ad invicem ut sponsi tractant, et se ligatos sponsaliis tenent.

Optime, proinde, idem laud. Auctor (l. c.): « Nec deinceps effectus eius, i. e. jus et obligatio, quae ex ea (condicione) consistunt, revocantur: scilicet, semel per eam quaesitum jus, vel extincta obligatio, alteri invito extorqueri, vel imponi amplius non potest ».

Horum ratio apprime patet ex eis quae, de voluntate praeclare disserens, alio loco exponit, scribens: « Porro, voluntas dicitur tum finis, tum eorum, quae sunt ad finem; sed, cum in finem aliquem tendit (et maxime cum exterius tendit), intentionis nomen subit. Est autem triplex Nostris intentio: actualis, habitualis, virtualis; scilicet intentio sine aliqua attentione (quae est actus intellectus) ne intelligi quidem potest, nam qui possum velle, quod nullatenus animadverto? Itaque, intentio actualis est cui attentio adest continuo; ex diverso, habitualis, cui nullatenus adest: inter utrumque tenet virtualis: nam, ea est cui attentio primo initio tantum operis inest, et post (quia mens ad alia divertit) exsulat.. Et actualis recte prorsus dicitur intentio, et vere est principium humani actus, et planum est; item virtualis, quippe vere ab ipsa initium capit actus, et subinde antegressae, qua coeptus fuit, intentionis velut impulsus et virtute prosequitur. At habitualis etc. » (*O. c.*, P. I, § 135, p. 120).

Jurisprudentia, in Rota renovata, innuere, saltem ab initio, visa est quod pacifica certitudo de verificatione eventus, sub con-

dicione impositi, stat pro renunciatione et revocatione, ideo pro consensu pure elicito. Ita, in una *Cameracen.*, coram Sebastianelli, diei 19 junii 1909, in qua legere datum est: « Quod, si admittere velimus Neleum hanc condicionem re vera apposuisse, saltem constare deberet ab apposita condicione eum non recessisse ante matrimonii celebrationem. At, contrarium evincitur: primum ex eo quod, post consultationem medici X, ante nuptias peractam, ille penitus a corde quemcumque timorem abiecit... Hinc, cum Nelei voluntas tota penderet a medica consultatione..., quamlibet condicionem, si jam antea posita fuerat, a viro retractatam fuisse dicendum est. Quod manifestum ulterius fit ex agendi ratione ipsius Nelei, qui non obstante quod, vix celebrato conjugio, rursum foetidum persensisset odorem, matrimonium consummat, per duos menses vitae indulget maritali, propriam uxorem novis subiacet medicorum consultationibus..., et tantummodo post civile divortium recordatur appositae condicionis, et judices ecclesiasticos adit ut nullum declaretur coniugium » (vol. I, dec. VIII, n. 6, p. 71).

Sed in contrariam prorsus abivit semitam Turnus appellationis, coram Perathoner, die 11 augusti 1910, reformans praecedentem decisionem, et haec, nixus veteribus jurisconsultis, apprime edocens: « Equidem, virtuali intentioni locus non est, si actualis fuerit revocata; sed hoc quomodo probatur?

Sapientissime Pitonius, a Patronis citatus, ait voluntatem jam manifestatam, et aliquam condicionem contractui apponentem, non praesumi mutatam fuisse, sed continuari (*Discept. eccl.*, disp. 52, § 39). Lege enim cautum est « quod quis semel voluit aut noluit, id semper deinceps velle aut nolle intelligitur, quamdius non retractaverit voluntatem » (ex., 11-12 de probat., 1, 4, de matr. vind., c. 3, de bapt.), et « qui ait mutatam fuisse voluntatem, docere id debet » (L. 241, de probat., 1. 3, § 3, de usucap.) » (vol. II, dec. XXX, n. 13, p. 311).

Quamvis talis decisio altera esset, post eam in dioecesi datam, in favorem nullitatis matrimonii, Defensor vinculi Rotalis adhuc appellandum censuit; sed, in Turno subsequenti, coram Mori, die 23 junii 1911, ulterior prodivit sententia pro nullitate. Etenim, RR. PP., iterum punctum perseverantiae condicionis presse aggredientes, attentissime considerarunt verba illa, quae traduntur ab actore prolata post medicorum diagnosim: « Tout est bien, puisque il n'y a rien », et addiderunt:

« Haec Nelei expressio non voluntatis mutationem, sed potius indicat erroneam de morbi absentia persuasionem: « puisque il n'y a rien », dum e contra, de facto, morbus aderat. Vera voluntatis mutatio adfuisset si, data contraria medici attestatione, ea non ob-

stante Neleus matrimonium inivisset » (vol. III, dec. XXVII, n. 10, p. 301).

Decisio haec utique ad exsecutionem transivit; at, juridicae disceptationi, cui locum dederat casus, neutiquam finis impositus est. Nam, in una *Versalien.*, die 20 maji 1912, et die 18 augusti 1916 (vol. IV, p. 235 ss., et vol. VIII, p. 313 ss.), definitum est Bertham, quae comparti declaraverat voluntatem non nubendi, nisi viro qui labe contubernii esset immunis, atque firme crediderat eidem, concubinarium vinculum neganti, pure contraxisse.

Nec aliter decisit Pontificia Specialis Commissio trium Emmorum Patrum, sub die 8 junii 1918.

Alteram autem peculiarem Commissionem constituit Summus Pontifex, quinque Cardinalibus compositam, Praeside Emmo Gasparri Petro: quae, sub die 2 augusti 1918, in decisione pro nullitate vinculi, scribebat: « ...dici nequit condicionem fuisse a muliere positive revocatam. Nam revocatio est factum, et facta non praesumuntur, sed probantur; atqui, revocatio nullatenus probatur, imo ex actis contrarium potius deducitur: « ma condition, quoique n'ayant pas été renouvélée, subsistait cependant toujours aussi absolue, aussi vivace... Je n'ai pas renouvélée cette condition trouvant que, l'ayant si nettement formulée, je ne pouvais en dire d'avantage ». Nec condicionem per se cessasse coniici ex eo licet quod mulier ex falsa viri asseveratione acquisiverit certitudinem hunc esse contubernio immunem. Nam mulier condicionem apposuit ante viri asseverationem, ideoque ante acquisitam certitudinem; subsequens autem certitudo nullo modo destruit condicionem antea appositam, sed consensus eidem subordinatus remanet, non obstante subsequenti certitudine, quae esse simul potest cum virtuali voluntate condicionata » (*A.A.S.*, vol. X, n. 9, p. 388-390).

Et, cum S. P. Benedictus XV, fel. rec., sub die 6 augusti 1918, hanc decisionem ratam habere dignatus fuerit, consequenter, posteriore tempore, jurisprudentia praesertim Tribunalium Apostolicorum huic se conformare debuit (cfr., inter alia multa, una coram Massimi, diei 4 decemb. 1926, vol. XVIII, dec. LIV, n. 3, p. 381-385; una coram Guglielmi, diei 11 junii 1930, vol. XXII, dec. XXVIII, n. 2, p. 327; una coram Jullien, diei 27 maji 1933, vol. XXV, dec. XXXVIII, n. 2, p. 326; una coram Felici, diei 17 januarii 1956).

Denique, in una *Forolivien.*, coram me ponente, diei 25 julii 1956, nonnullae reassumuntur et enumerantur notae, ex quibus vera condicio, consensum afficiens, facilius dignosci potest, item criteria nonnulla revocantur ad huiusmodi notas, singulis casibus, exigendas, ac difficultates innuuntur, pariterque diluuntur, quas Defensor vinculi solet in huiusmodi opponere. Pretium operis erit

verba praedicta decisionis heic referre: « Ad hoc ut consensus in matrimonio.. positus haberi debeat sub condicione sine qua non, necesse est, ac sufficit, quod uterque vel alteruter ex contrahentibus in eo mentis statu versentur, ut matrimonium pro valido habere velint, ubi certum « quid », magno in pretio habitum, verum ac reale sit; secus, quantum a se pendeat, pro irrito, ac veluti pro infecto.

Illud « qui » potest esse dos vel nota vel factum, sive praeteritum sive praesens, adhuc de facto partibus ignotum, vel, quomodocumque, plane non cognoscibile...

Sed attente considerandum venit quod condiciones, quae consensum attingunt, saepe saepius ab iis ponuntur, qui terminos juridicos, eorumdemque vim et effectum, bene non noverunt; unde, non mirum est quod istiusmodi homines aliquando se exprimant per verba non propria, aut ambigua, idest per verba, quae, potius quam veram condicionem, causam contrahendi innuunt, aut praerequisitum aliquod, summa in aestimatione habitum (quo praesente, matrimonium absolute contraheretur; quo absente, simpliciter non contraheretur), aut voluntatem, quam dicunt interpretativam, aut errorem, qui contractui dat causam. Insuper, qui condicionem apponunt, ignorant ut plurimum effectus irritantes non verificatae condicionis: nam, prae primis, condicionem apponendo, non ob oculos habuerunt celebrare matrimonium nullum, sed celebrare matrimonium jucundum seu conveniens: rati, nempe, merito vel immerito, se non posse bono pacis frui, si in matrimonio illud « quid » absit, vel aliud illud praesens sit (cfr. una *Vashingtonen.*, coram me ponente diei 18 martii 1950).

Hinc, difficultas non levis in dignoscendo veras a falsis condicionibus: a falsis - inquam - quae non infrequenter, bona vel mala fide, in medium proferuntur ab hominibus onerum conjugalium pertaesis, haec per fas et per nefas excutere satagentibus. In jurisprudentia N. S. O., usque ab antiquis, plures dictantur normae, aeque ac sapienter, ad inspiciendam et exigendam mentem loquentis, idest condicionem adponentis, potius quam corticem et speciem verborum...

Relevetur non singulas, ex praedictis normis, unicuique ex casibus, eodem prorsus modo ac sensu, aptari posse: quae enim, certis in adiunctis, invicte probant, aut probationem juvare possunt, in aliis quovis sensu carent. Verbigratia, nimis insistitur, aliquando, in consummatione copulae, quae locum habuit etsi deficientia peroptati eventus in aperto jam venerit; et nimis, pariter, in inspiciendo ac relevando quomodo se gessit conjux, cum certe

advertit factum, quod sub condicione traditur praetensum, fefellisse, seu verificari numquam posse.

Haec, sane, cum grano salis accipienda sunt, pensanda, ac rimanda: nam, et de libidine ratio aequa haberi debet, praesertim inter juvenes; et de vi dilectionis; et de ignorantia proprii juris et proprii officii, aut viae, per quam practice procedi debeat ad jura publice vindicanda; et de ineptis, erroneis, falsis consiliis... et de aliis multis. Unde, potius ad complexum et ad summam circumstantiarum oculi vertendi sunt, quam ad singularum pondus et sensum; et absentia cuiusdam elementi (quod, si praesens, vel alio prorsus modo verificatum, magis juvasset) nimis facile ne confundatur cum deficientia probationis, aut (quod pejus est) cum probatione peremptoria inexistentiae verae condicionis ».

C. - *De inconsummatione matrimonii*

Sufficiat, pro casu de quo agitur, animadvertisse matrimonium pro inconsummato, sensu canonico, haberi debere quoties, posita etiam physica organorum utriusque partis agglutinatione seu compenetratione, verum semen, seu materia testicularis, a viro eiaculari nequit. Quod vitium, etiam si perpetuum tuto probari non possit, si tamen ostendatur adfuisse saltem per totum vitae conjugalis spatium, legitime locum dare potest petitioni ad gratiam dispensationis super rato obtinendam: ad normam cann. 1119 et 1973, et Instructionum S. Sedis.

IN FACTO

Usque a limine inquiratur attentissime oportet de religione, honestate ac veracitate tum partis actricis cum conventae, *praesertim quoad ea, quae causam praesentem respiciunt.*

De actrice, non univocum judicium in praecedentibus sententiis latum est: etenim, in prima, ipsa credibilis declaratur, et certo certius, magis quam vir attendenda; non autem in altera, quae de nonnullis ab actrice incongrue prolatis conqueritur; nec pariter in tertia, quae actricem deprimit, se referendo ad testimonia minus favorabilia Rev.mi D.ni Marii, et Rev.mi D.ni Iacobi, consanguinei partis conventae.

Omnibus aeque rimatis, Patres praesentis turni noluerunt quidem actricem proclamare in omnibus laudabilem (quod, ceterum, nec ipsa praetendit, maxime cum humillime confitetur mendas no-

vissimas): agnoverunt tamen eam. et recte institutam usque ab adolescentia, et ad normas sanctae religionis constanter educatam, et in familia honestorum morum custoditam, in hoc judicio instaurando bona fide egisse, et, in ipso prosequendo, suum bonum jus affirmandum et vindicandum constanter prae oculis habuisse (etiam si, aliquando, ope sacerdotis cuiusdam, e recta semita, per breve tempus, deflectere visa est).

Quamobrem, in genere, actrici fidere possumus ac debemus, eo vel magis quod sibi cohaerens, decursu judicii, saltem quoad substantialia, indubitanter, et, aliunde, multi sunt ecclesiastici viri, qui, factis et factorum adiunctis in medium prolatis, bonum de ea, de eius familia, praesertim de eius matre, testimonium reddiderunt: sane, *de propria scientia omnino testantes*.

Praeclari DD. Auditores alterius instantiae opponunt quod actrix « ausa est affirmare primam absurdissimam condicionem » (idest, quod vir non amplius inique ageret aut loqueretur contra eam, vel contra eius parentes).

At, quomodo culpae mulieris, juris ignarae, redundare potest onus male intellectae, ac male expositae condicionis: dum novimus res huiusmodi, non raro, ab ipsis jurisperitis confundi et subverti prorsus?

Ideo, si quid inepte protulit vel egit actrix, talem pseudo-condicionem in limine judicii denuncians, ex eius imperitia, vel ex consiliis ineptis, quae recepit, non autem ex dolo malo repetendum est.

Actrix etiam accusatur, in praecitata sententia, de falsis atque exaggeratis in adversione asserenda erga virum, et in vi coactionis parentum denuncianda et describenda.

Age nunc: de Mariae Theresiae frigido pectore erga Emmanuelem dubitari posse non videtur, nam et ab ea id asseritur, et a multis confirmatur: refragante Emmanuele tantummodo, qui multa, inter parietes actricis domesticos verificata, certe ignorabat, quique ceterum nullo solido argumento suam thesim fulsit.

Adnotetur, utcumque, Mariam Theresiam non denunciasse coactionem gravem in ordine ad matrimonium contrahendum, sed simpliciter — ut jam notavimus — peculiarem parentum sollicitudinem in his nuptiis concludendis, quas pluribus ex titulis optandas judicabant: quibus filia simpliciter morem gessit, aliquantum renitens, sed non coacta. Ita loquens actrix, nec effecit ut veritas detrimentum pateretur, nec ut adulteratio fieret eventorum, quae reapse contigerunt. Quod satis per tabulas evincitur.

Cadit proinde et tertia obiectio adversus credibilitatem actricis, quae ita enunciatur: « Si autem — ut dicit — subiacebat coactioni

parentum, quomodo rei impositae apponere potuisset condicionem? ».

Nempe: diximus quaestionem moveri non posse, in casu, de vera et gravi coactione: quam, tamen, sit per transennam dictum, simul consistere posse, in eodem subiecto, una cum condicione, et theorice et practice concedi debet. *Theorice*: quia nihil planius admittitur, quam quod subiectum, iniquae coactioni subiacens, cautelam atque effugium quaerere possit in condicione aliqua, cui consensum adliget ineluctabiliter edendum: non enim tenetur hanc condicionem suis oppressoribus manifestare.

Practice: quia quid huiusmodi plene probatum resultavit in praecitata *Forolivien.*, coram me ponente, in qua exhibetur juvenis quidam, a patre sponsae, quae ex eo uterum ferre mendaciter asserebat, violenter ad matrimonium adactus: qui, tamen, etsi metu oppressus, consensum submisit condicioni, sine qua non, quod ipse re vera esset nascituri pater naturalis. At, eventus modo indubio probavit assertionis puellae falsitatem. Ergo cecidit consensus ex condicione non verificata, qui alioquin pariter inefficax fuisset ex gravi et injusta coactione plene probata.

Sed adhuc obiicitur in eadem sententia: « Vacillat (actrix) circa obiectum condicionis, quod tamen res bene determinata esse debet, et in mente ponentis praecisa ».

Respondetur aliud esse condicionis obiectum, aliud esse verbum, seu verba, quibus coram Judice obiectum illud exprimitur ac denunciatur: de quibus verbis, iterum animadvertendum est id, quod jam supra innuimus: scilicet ea non raro proferri modo ambiguo, vel confuso, vel incongruo, sive ob loquentis imperitiam, seu terminorum juridicorum nescientiam, sive ob animi commotionem. Unde, potius quam ad verba in judicio ab actrice prolata, animus Judicis vertatur ad mentem et ad intentionem loquentis: quae, sane, ex omnibus causae adiunctis, et ex testimoniorum summa — ut mox videbimus — perquam clare patere dicenda est.

Denique, non acceptanda videntur haec eiusdem sententiae verba: « Parentes autem eius (i. e., actricis) nimium ostendunt studium causae, et illi testes, inter quos duo sacerdotes, qui de indole frivola actricis testantur, non videntur mentiri. Annos non paucos cum marito convixit, et hic forsan cum veritate affirmat mulierem abalienatam esse quando, loco societatis honestae, in qua ipse uxorem statuerat, aliam corruptam ingressa est ».

Ad quae, animadvertenda tenemus:

a) - Nullum causae dolosum studium relevatur in depositione parentum actricis, vel testium eidem faventium, inter quos

(ut infra apparebit) non desunt quidam medici, non modo quolibet interesse carentes, sed qui amici rei conventi sunt usque ab adolescentia.

Ceterum, actricis pater sat modice loquitur. Mater, ac ceteri testes multa protulerunt, quae non per verba aliorum, sed potius per facta omnino indubia, judicialiter solidantur.

Insuper, nihil adversi testes protulerunt, per quod assumptum actricis, et asserta suorum testium, modo certo evertantur.

b) - Contra testimonium illorum duorum sacerdotum, qui afferunt — ut plurimum — notitias sat vagas, vel ex auditu acceptas (et quidem, aliquando saltem, ab hominibus non proprie honorandis), stant alii sacerdotes non pauci.

Ex his, non desunt qui credibilitatem actricis sustinent ac defendunt praecise quoad praesentem causam, et qui facta maxime probativa adducunt, *de propria scientia.*

Quapropter, Patres Domini, tot ac tantis testibus, qui bene doctos se produnt, fidem plenam denegari non posse rati sunt. Nec, propter hoc, alios supra commemoratos Rev.mos Praelatos de calumnia arguere volunt, sed tantummodo agnoscendum esse dixerunt eos, in aliquibus, non optime informatos apparere, et in aliis, forte, deceptos fuisse: ope equidem virorum, qui et multiloquio laborare videntur, et insulsis dicteriis quibuslibet, aut inani cuivis rumori vacare soliti sunt.

c) - Quod actrix annos non paucos cum marito vixit, concedendum est. Sed hoc nihil probat contra causae assumptum: eo vel magis, quod ipsa, currente contubernio, indesinenter sollicita apparuit de prole generanda, ac semper anxia propter coniugii sterilitatem: unde, medicos adire non cessavit, constanter ab iis pacata. Et, cum nosse potuit foecunditatis defectum uni viro attribui debere, *repente, et propter hoc tantum,* vitae communionem fregit, et vix non illico causam hanc, quovis pacto, instauratam voluit. Quod, ni fallimur, et intentionem ac finem, ab ea prae oculis habitum usque ab adolescentia, plene roborat, et amandandas jubet insulsissimas abalienationis causas, quas vir congerere non veretur ad mulierem suam luto obliniendam.

Et virum conventum, reapse, mala prorsus fide in hoc judicio egisse, solummodo ultionis cupidum, acta superabunde demonstrant. Relevasse sufficiat ea quae — posthabitis quibusvis decoris atque honoris sensibus — cum medico Gregorio patravit (de quibus, longe fusius infra), et, insuper, eius renitentiam in ulterioribus medicalibus examinibus ferendis, eius inoboedientiam praeceptis S. Tribunalis, eius depositiones sine dubio falsas, sub juramenti vinculo datas. Ideo, vere intellegere non possumus quomodo

sententia tertii gradus hunc virum prae muliere credibilem declarare potuerit: quod nec a prima, nec ab altera, nec a praesenti sententia acceptatur.

Quibus praenotatis de fide, quae parti actrici et conventae spectat, unumquodque quaestionis caput pressius aggrediamur oportet.

I. - *De impotentia viri*

Vir inhabilis dicitur ad eiaculandum, *verum semen*, imo ad conficiendum ipsum idem. Sed praecedentes sententiae hanc inhabilitatem non satis probatam tenuerunt.

Difficultas probationis in eo maxime agnosci debet, quod vir — ut jam innuimus — praeceptis Tribunalis restitit, et vel ipsis medicorum amicorum consiliis non obtemperandum duxit. Quod jam, de se, suspicari sinit eum, qui mulieris assumpto constanter adversatur, multa timere posse ex forte iteratis indaginibus medicalibus.

Nec posthabendus est eius agendi modus cum uxore et cum medicis. Siquidem, sponsae, jam ante nuptias prementi ut examini medicorum se subiiceret ad certe constabiliendam suam procreandi facultatem, nonnisi verba donavit: de quibus utique sponsae parentes sat contenti fuerunt, non autem sponsa, quae aegre se aptavit.

Postea, vita conjugali currente, numquam ipse, sed constanter mulier conquesta est de prolis defectu: qua de causa - quemadmodum testes insuspecti referunt - vita communis non harmonice processit.

Cum vero Maria Theresia, per medicorum diagnosim, sana declarata est atque ad generandum apta, adhuc per annos plures vir cuivis inspectioni restitit.

Hodie, ad mulieri contradicendum, asserit eam abortum passam esse sed ab ipsis iisdem medicis, qui mulieri perdurante contubernio adstiterunt, aperte contradicitur.

Et relatum ab eo mendacium cum aliis compluribus cumulare ausus est. Non veretur ipse, qui medicus est, in judicio exhibere artificiosam et implexam narrationem de modo, et de causis, ob quas, denique tandem, et ipse medicos adeundos tenuit, necnon de materia, quam medico examinandam tradidit: dum, sive a doct. Petro sive a doct. Gregorio, amicis eius, de falso, proprie in his suis narrationibus, apertissime arguitur.

Audiatur doct. Petrus: « Dopo il matrimonio, visitai Emanuele: egli venne nel mio studio, e mi consultò sul fatto che non

aveva figli, domandandomi se la causa poteva dipendere da una cortezza del frenulo; io dichiarai, dopo averlo visitato, che non poteva dipendere da ciò, e costatai che il suo pene e i suoi testicoli erano all'apparenza normali; lo consigliai a farsi praticare l'esame del seme ».

Ergo, omnino falsum est quod conventus — ut deponere non erubescit — adivit doct. Petrum non quia dubitabat de sua impotentia, sed eo fine ut medicus ille curam susciperet de levi infectione: cui medico ipse idem conventus proposuisset examen seminis peragere.

Item, falsa sunt verba conventi: « Delle mie visite al medico, Maria Teresa era al corrente, *ma esse non avvennero a richiesta di lei* ».

Contrarium praecise verum est, veluti doct. Henricus refert: « Siccome l'attrice era andata varie volte a farsi visitare da medici per il fatto che non aveva figli, e siccome gli specialisti dicevano che avrebbe potuto averli, allora, un giorno in cui (i coniugi) mi dissero che sarebbero andati a far visitare la moglie dallo specialista, io dissi al convenuto che mi sarebbe sembrato opportuno che la signora si facesse visitare, *ma che dopo si facesse visitare anche lui....*

Effettivamente, la signora mi pregò di cercar di convincere il marito a farsi visitare da uno specialista, e che ve lo accompagnassi io, perchè così avrebbe saputo il risultato con certezza ».

Igitur, ob uxoris pressiones vehementes, et ob consilium doct. Henrici, adivit Emmanuel doctorem Petrum *unice* ut indagaret de sua habilitate procreandi; dein, ex consilio doct. Petri, doctorem Gregorium adhuc consulendum tenuit, ipsique exhibuit materiam eiaculatam, juxta huius medici suggestiones.

Dicit de hoc Emmanuel: « Debbo far notare che il primo preservativo, quello con cui avevo effettuato la copula, si era rotto, ed io fui costretto a prenderne un altro, e, dopo averlo inumidito, mettervi quello che si trovava nell'altro preservativo, e per questo, essendo così poco quello (il seme) che rimaneva, il dott. Gregorio che lo esaminò soltanto al microscopio, senza fare nessuna analisi, mi disse che non era fecondante. Io rimasi talmente sbalordito, che subito telefonai a mia moglie, e feci venire all'apparecchio il dott. Gregorio, perchè glielo dicesse. Tornato a casa, Maria Teresa mi disse che non c'è di che avvilirsi, si vede che Dio ha voluto che fossimo noi due soli. Io le dissi di no, che al ritorno dalla villeggiatura mi sarei fatto praticare una visita completa, come mi era stato suggerito dal dott. Pietro ».

Sed, in his relatis nonnisi cumulus mendaciorum continetur. Etenim:

a) - Admitti non potest Emmanuelem, qui medicus est, materiam medico examini subiiciendam tam inepto modo collegisse ac disposuisse. Nam, denique tandem, quem, praeter quam seipsum, sic decepisset? Adnotetur quod ipsi maxime cordi erat probationem de sua habilitate exhibere, ita ut mulier quietari potuisset. Ergo, omnino praesumi debet eum, omni qua poterat cura, sicut medicorum est, materiam examinandam collegisse: scilicet cautionibus illis adhibitis, quas medicus ignorare non potest.

b) - Si ita egisset Emmanuel, prouti loco citato mendaciter describit, nequaquam tristi admiratione perculsus apparuisset post auditum examinis exitum (« io rimasi talmente sbalordito ecc. »), et nequaquam medicum Gregorium oravisset ut Mariam Theresiam ipse, ope telephonii, certiorem redderet, et nequaquam doct. Petrum iterum anxius adivisset — ut iste refert — ad exquirendum an et quodnam remedium praesto esset pro vitiis huiusmodi curandis et sanandis.

c) - Quid autem dicendum de verbis, quae Emmanuel in ore mulieris ponit: « non c'è di che avvilirsi etc »? Si haec pro veris haberi possent, difficile intelligeretur vorago illa, quae subito animos coniugum separavit: cui desertio, ex parte mulieris, statim successit.

d) - Nec pariter intelligeretur (ubi vera sit expositio Emmanuelis) propositum subeundi nova examina medicalia, quae ad indaginem profundiorem ac definitivam ducerent.

e) - Doct. Gregorius mendacia Emmanuelis prodit, seu confirmat, dicens: « La quantità (della materia esaminanda) era senz'altro pochissima... praticato un esame microscopico del liquido, non furono riscontrati spermatozoi. Il convenuto... mi disse di comunicarlo io stesso, per telefono, a sua moglie.

Successivamente, il convenuto stava fuori città e credo che l'attrice gli fece comunicare il suo desiderio di promuovere la causa di nullità. Egli venne a farmi visita, e mi chiese un certificato, nel quale avrei dovuto dire che nell'esame da me praticato avevo riscontrato spermatozoi, con buona vitalità. Io mi rifiutai di rilasciarglielo, perchè quello che egli mi chiedeva era falso. Allora, egli mi disse che potevo farlo tranquillamente, perchè il liquido, da me esaminato, era un pò d'acqua e sapone. Quando il convenuto mi disse questo, io gli risposi che ancor meno glielo potevo fare, perchè questo implicava una doppia mancanza di serietà ».

Et, expresse interrogatus, medicus respondet: « Il liquido esa-

minato non era acqua e sapone... Nemmeno il suo aspetto microscopico corrispondeva a quello dell'acqua e sapone ».

Hic est Emmanuel, qui in sententia tertii gradus plus quam Maria Theresia credibilis definitur!

Et si vir iste, ad testimonium habendum de habilitate ad verum semen conficiendum, nihil aliud operari potuit, ac de facto operatus est, quam foedum subornationis tentamen, nonne legitime inducitur is nullo modo posse, per vias rectas, eiusmodi testimonium consequi? Is — inquam — qui constanter, usque ab initio, causam a muliere instauratam oppugnavit, et viam justitiae consequendae praepedire, omni nisu, conatus est, curnam, loco miserabilium harum machinationum, solida argumenta adducere neglexit?

Sed etiam obliviscendum non est quod medici, qui conventum inspexerunt, ab eo ipso resciverunt quantitatem materiae eiaculationis, in eo, semper modicam fuisse qui, ceterum, medici expresse etiam dixerunt virum in medicina expertum (sicut est conventus) haudquaquam ignorare posse carentia veri seminis se laborare.

Deveniendum nunc est ad trutinam relationum, a peritis canonicis confectarum.

Unus tantummodo est peritus, qui, de mandato Tribunalis, conventi corpus perlustrare potuit, idest doct. Aloisius.

Iste, meliore quo potuit modo, inspectionem peregit, ac dein declaravit: « ... le cause dell'assenza di seme e di liquido prostatico, nel convenuto, possono essere dovute ad una malattia, acquisita nella sua gioventù, prima dei venticinque anni, che abbia annullato la funzione degli organi genitali, perchè, se le dette cause fossero d'origine congenita, noi ci troveremmo di fronte a disturbi anatomo-patalogici, con un deficit dell'integrità fisica ».

Post alteram in favorem vinculi sententiam, curavit cl. Patronus ut prof. Vincentius Palmieri, Medicinae legalis magister in Athenaeo Neapolitano, actibus inspectis, judicium de re proferret.

Prof. Palmieri debita consideratione tenuit verba a convento in altera sua depositione prolata: « ... che, *quando era studente*, il deponente, nell'ospedale di San Paolo, era aiutante ai raggi X.

Detti raggi emettono dei raggi secondariii, i quali, se non si è protetti con rivestimenti di gomma o di piombo, possono offendere tutta la persona, o parte di essa, e che, siccome attualmente, e in modo particolare, lavora con i raggi X, sarebbe possibile (ciò che egli ignora) che ne sia offeso ».

Haec summe mira conventi confessio, in altera depositione

judiciali — ut diximus — reddita, nonnisi repetitio est confessionis extrajudicialis, equidem valde antiquae: nam, quod coram Judice ipse retulit solummodo die 27 julii 1950, jam uxori suae, ante separationem, manifestaverat.

Et id quam momentosum aestimandum sit, ad effectum de quo agitur, neminem latere potest. Siquidem, actrix, utpote omnino expers harum notionum scientificarum, aliquid simile, quin effingere, sed nec excogitare nec suspicari poterat, nisi ex ore mariti, qui medicus est, illud apprehendisset. At, cur et quomodo Emmanuel id uxori tradere potuisset, nisi conscientiam habuisset de veritate asserti eiusmodi?

Consequenter, magis ac magis solidatur affirmatio medicorum, quam supra retulimus: nempe virum expertum in arte medicali ignorare non posse carentia seminis se laborare!

Laud. Prof. Palmieri, propter relatam viri conventi confessionem, nedum probabile, sed certum habet quod in testiculis huius viri, ita violatis, reapse semen confici non potest.

Et addit: « Non ogni infermità dei testicoli, o degli epididimi, si traduce in un'alterazione apprezzabile alla palpazione di tali organi attraverso lo scroto ».

Ideo, quod de facto in patientis organis quaelibet symptomata desiderentur omnino, non multum interest: nec, ex facto isto, tuto affirmare liceret testiculorum integritatem et efficientiam. Haec, ad summum, praesumi posset: sed praesumptio contrariae probationi cedere debet.

Ne dicatur probatio contraria, in casu, *unico* examine negativi exitus, a doct. Gregorio expleto, solummodo innixa, pro omnino valida retineri non posse. Nam, id proprie negandum est: nempe probationem huiusmodi super illud unicum examen solummodo fundari. E contra, praeter quam exitum praedicti examinis, nec pauca nec levia e tabulis scatent, sive ordinis physici, sive moralis (utique, non omnia et singula eiusdem ponderis), quorum gratia, ubi una simul accipiantur, probatio completur et solidatur. Attendatur ad sequentia, per quae omnia reassumere satagimus:

1° - Conventus renuit examini praenuptiali se subiicere, instantiis sponsae minime obstantibus.

2° - Perdurante vita communi, etsi ignarus condicionis suae non esset, voluit quod uxor, de sobolis defectu conquerens, a medicis inspiceretur.

3° - Quinquennio transacto, pressioni mulieris et medicorum denique satisfaciens, examini se tradidit: sed, de huiusmodi, omnino falsam in judicio relationem exhibet, et eo pertingit ut de abortu, ab uxore edito, mendaciter loquatur.

4° - Medicum subornare tentat, ad obtinendum falsum testimonium de semine ad normam constituto.

5° - Vitae communis abruptionem, et tecti conjugalis eversionem (quae unice, quidquid ipse in contrarium asserat, ex discidiis de prole repetenda est) patitur, potius quam se ulteriori indagini medicali submittat, praesertim radiologicae, quam medici suggesserant.

6° - Anxius quaerit a medicis an remedia dentur, et quaenam, pro infirmitate, qua laborat, sananda.

7° - In examine, a perito Aloisio peracto, adhuc, post confricationem prostatae et vesicularum, de praesentia materiae testicularis non constat.

8° - In hac causa honestam cooperationem denegat, et, pluries excussus, ad mendacia et perjuria recurrit.

9° - Actrix, sive ante nuptias, sive postea, et adhuc post separationem, a medicis constanter habilis dicitur ad generandum: quod, per eventum novissimum, plene confirmatur.

Quae, profecto, tam certa et tam gravia sunt, ut justitiae lancem in actricis favorem trahant, etiam judicium prof. Palmieri, quam quod maxime, corroborando.

Voluit nihilominus Tribunal etiam alium peritum canonice eligere, qui de assertis a prof. Palmieri votum proferret. Et, ad normam juris, prof. Hermannum Mingazzini, urologum, peritum constituit.

Qui sententiam prof. Vincentii Palmieri plene confirmandam duxit, etiam relevans nonnulla obiectiva symptomata, utique non gravis ponderis, sed quolibet momento non destituta: i. e. « una lieve perdita di flessibilità del globus major degli epididimi... l'esistenza di un modesto idrocele ».

Postea, in orali examine, aliquid aliud, maxima nota dignum, peritus hic animadvertit dicens: « Dobbiamo aggiungere ancora come l'esame dell'eiaculato non può dirsi sospetto, in quanto il convenuto aveva tutto l'interesse che risultasse positivo ».

Duos alios peritos Patres praesentis Turni adhuc constituerunt, i. e. prof. Livium Bonanome, urologum, et prof. Eleutherium Boganelli.

Actibus perpensis, scripsit primus: « E' risaputo che i raggi X possono determinare sterilità assoluta, sia nell'uomo che nella donna... Anche dosaggi relativamente lievi possono portare nell'uomo ad una azoospermia, a volte temporanea, ma a volte addirittura definitiva, senza che nulla sia rilevato dal punto di vista medico, anche al più scrupoloso esame obbiettivo dei genitali ».

Ex eo autem quod practice ex actibus non resultat quantum temporis, et qua mensura, patiens influxum radiationum, e radiis X emanantium, subierit, peritus concludit quod impotentia illius scientifice demonstrari non potest. Attamen, in orali examine, declarat: « Io ritengo questa impotenza scientificamente probabile, e personalmente certa (di certezza morale) per due ragioni: 1° perchè la moglie non ha mai generato durante il matrimonio, nonostante il suo vivo desiderio, mentre ha generato per rapporti con altro uomo; 2° perchè, riscontratasi l'azoospermia in due esami dell'eiaculato, il paziente, che pure è medico, si è rifiutato pervicacemente di subire altri esami del genere, e anche di collaborare in qualunque modo in questa causa. Naturalmente, si tratterebbe di impotenza ad eiaculandum verum semen. Dirne le cause è impossibile, attesa l'assoluta mancanza di collaborazione del soggetto... io, personalmente, dal complesso degli atti... ho la convinzione che il soggetto sia affetto da impotenza prematrimoniale e insanabile ».

Alter peritus, postquam, in sua relatione, eadem, plus minus, animadverterat, in orali examine adhaerendum censuit praedictae prof. Bonanome sententiae, dicens: « ... sostanzialmente, sono d'accordo col collega. Non è raro che un medico, valendosi soprattutto della sua esperienza, particolarmente se è specialista della materia, pronuncia una diagnosi obbiettivamente esatta, anche in assenza d'ordinarii sintomi.

Così può darsi nel caso presente. La somma degli elementi, che emergono dagli atti, è tale che, anche in assenza di elementi scientifici dimostrativi, conduce il perito alla convinzione che si tratti effettivamente di una impotenza ad eiaculandum. Sono convinto che ulteriori accertamenti, condotti a regola d'arte (se il paziente vi consentisse) confermerebbero tale diagnosi ».

Cl. Defensor vinculi, relevans verba illa: « dirne le cause è impossibile », arguit quod in casu: « nulla prorsus extante causa, effectus certus denunciatur: impotentia viri ». At, non dixit peritus nullam talis effectus adesse causam, sed potius dixit causam occultam manere ob defectum cooperationis ex parte patientis. Quod prorsus aliud est.

Utcumque, hanc impotentiae tractationem absolventes, et ne res tota ambiguitatibus, forte, subiaceat, clare enunciatum Patres voluerunt:

1° - Non esse suae mentis admittere, aut defendere, quod azoospermia, per se ipsa, confundenda sit cum impotentia, vel ipsi coaequanda sic et simpliciter: ita ut, quoties azoospermia inveniatur, illico, ob hoc tantummodo, liceat pro subiecti impo-

tentia concludere. E contra, dicendum est in azoospermia cerni atque cognosci posse, saltem aliquando, *unum ex signis confirmativis de impotentiae existentia*: quatenus, *ubi alia quoque elementa in idem conspirent*, ex ea magis solidatur argumentum de cessata spermatogenesi ob vitium existens in ambobus testiculis.

2° - Id reapse in viro convento verificatum fuisse, ex omnibus, quae jam notata et exposita sunt (ideo, *non* tantummodo ex notata azoospermia), pro indubio Patres tenuerunt. Quoniam vero medici de causa eiusmodi vitii, in casu, tuto pronunciare non valuerunt (praesertim ob defectum cooperationis conventi), arduum esset pro insanabilitate, modo certo, concludere. Sed controvertendum non est morbidam viri condicionem durasse per integrum vitae conjugalis spatium.

II. - *De condicione.*

Non multa, de huiusmodi, dicenda remanent. Porro, actricem jam ostendimus undequaque constantem, veracem, ideo omni exceptione majorem.

Pariter, e suis cohaerentibus asseverationibus patet, absque erroris vel ambiguitatis possibilitate, quodnam fuerit eius intentum, in quod firmissime tendit a sua pubertate usque ad vitam coniugalem, et ultra, usque ad praesens.

Sed est praecise ex pretio, quo res optata aestimatur, quod mens adponentis condicionem plene intellegi potest.

Nempe, actrix, puerorum amantissima usque a prima juventute, in matrimonio nonnisi voluit, praevalenti equidem voluntate, sobolis procreationem. Hoc est, sine ambagibus, obiectum condicionis, quam consensui coniugali adposuit: etiam si, coram Judice, non semper lucide, vel perspicue, mentem suam aperire valuit.

Dixit enim, cum prima vice hanc condicionem commemoravit in judicio: « avevo apposto la condizione di aver figli », et iterum, circa depositionis finem: « Si deve dire: la condizione che non avesse un difetto che impedisse aver figli », ac tandem, alio loco: « Se io misi la condizione, fu perchè avevo vicino a casa mia un bambino deforme, e una sorella di una mia amica aveva avuto un figlio senza dita, ed io avevo sentito dire che questo era dovuto al fatto che i genitori erano poco sani, e per questo volli che mio marito non avesse alcun difetto, e per questo dissi alle persone di famiglia: se io ho dei difetti, ossia se il medico dice che io ho dei difetti in questo senso, non mi sposo, e poi voglio che vada a farsi visitare lui. L'ultima volta che io gli misi questa condizione fu circa un mese prima della celebrazione del matri-

monio. Io non parlai più con il convenuto, perchè in casa mia mi dicevano che non si doveva parlare di questa cosa, e mi convinsero che lui era sano ».

Utique, in his tribus formulis, non semper exprimitur *vera condicio sine qua non*, et agnosci debet, in veritatis obsequium, quod, in iisdem, verbum « condicio » ambigue usurpatur.

Sed agnoscatur pariter nullam contradictionem relevari posse inter unam et aliam, ex dictis formulis: in quibus — etiamsi quandoque essentiale cum accidentalibus inepte commiscetur — mens mulieris constanter revelatur, itemque finis continue asseveratus, quem sibi consequendum proponebat, quemque, voluntate omnino praevalenti, persequebatur.

Dicitur a praeclaris alterius instantiae Patribus dubium *positivum*, de viri habilitate, mentem actricis occupasse numquam, idque causae non favere. Esto! Dummodo, simul cum iisdem laudatis Patribus concedatur (contra id, quod in prima instantia, de huiusmodi, asseveratum est) tale dubium positivum non ita infallibiliter requiri, ut, sine ipso, condicio intelligi et admitti non possit.

Nisi dubium positivum et perspicuum, certe certius animum mulieris istius anxit, ac fere momordit, incertitudo et haesio quaedam, non solum valde mira, sed quae veluti e morbida passione ortum habuisse dicenda est: qua agente, de procreatione filiorum, quam ceteris quibuscumque rebus constanter anteposuit, numquam ipsa sollicita non fuit. Ita in adolescentia, ita in coniugali contubernio, et postea.

Quo jure, ergo, illi, tam firme et cohaerenter idem asseveranti, ac vi factorum plene probatorum assertionem suam solidanti, fides denegaretur?

Et quidem credidit verbis eius sententia primae instantiae, quae, tamen, erroneo principio juridico fruens, veram condicionem in casu non agnovit, eo quod dubium positivum abfuit; non credidit sententia alterius instantiae, quae, condicionem agnoscens in verbis actricis judicialibus, pariterque tenens similem condicionem, si vere positam, pro non verificata haberi debere nedum si viri impotentia probetur, sed etiam si eius sterilitas tantummodo evincatur, nihilominus fidem, seu veracitatem actricis, eiusque testium, non satis firmam judicavit, ob argumenta, quae jam supra revocata sunt.

Quae equidem argumenta, unum post aliud, aggredi curavimus, confutavimus, elisimus. Proinde, nihil aliud remanet, nisi ut actricis assumptum admittamus, quod per testes plene roboratum stat.

Refert actricis mater: « La condizione fu: non voglio un uomo che abbia un difetto fisico, che impedisca la procreazione », et pariter informat quod filia, non una vice tantum, institit ut sponsus inspectioni se subiiceret, sed cedere debuit parentum suasionibus, qui indecoram pro viro huiusmodi inspectionem retinebant.

Non aliter pater matertera Benedicta huiusque vir Franciscus qui, postquam retulerat Mariam Theresiam praetendisse quod sponsus inspectioni medicae se submitteret, concedit eam abrenunciare suis praetentis debuisse « perchè i genitori la dissuadevano, dicendole che, essendo medico, ed appartenendo a buona famiglia, godeva buona salute, e « non parlargli più di questa cosa, e questo non si suol fare », e che essa, per timore filiale, tanto su questo argomento come sulla questione del fidanzamento, si lasciò vincere dall'autorità del padre ».

Concordant plus minus ceteri testes ab actrice inducti: qui, simul cum jam recensitis, pariter commemorant Mariam Theresiam, usque ab adolescentia, pueros dilexisse et vividum instinctum maternum ostendisse, eamque, etiam matrimonio inito, medicos adivisse ad inquirendum sollicite de causis sterilitatis coniugii, et maritum pluries compulisse ut et ipse cum medicis simuliter ageret.

Quoad reliqua necessario demonstranda, scilicet condicionis verificationem in casu defecisse, nimis insistendum non est post ea, quae in capite praecedenti per longum et latum exposita sunt circa viri impotentiam: quae — ut diximus — plene probata fuit, per argumentorum cumulum, saltem ut perdurans toto vitae coniugalis tempore.

III. - *De inconsummatione*

De hoc, formali modo, non amplius pertractandum est. Attamen, prorsus inutile non erit agnoscere, vi enunciatae conclusionis praecedentis capitis, copulam, quae proprie dicatur, idest sensu canonico intellectam, numquam, in hoc connubio, succedere potuisse: etenim, veri seminis productio et eiaculatio — ut dictum est — excludi debet, quod est verae copulae elementum omnino essentiale.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno definitive sententiamus:

1° - Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu, solummodo ex condicione supra descripta.

2° - Non proponi.

Boleslaus Filipiak
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli, *ponens*

Sententia haec, de speciali mandato Sanctissimi (cfr. litterae Secretariae Status ad R. P. D. Ponentem, sub die 28 decemb. 1957), immediatae exsecutioni tradenda est.

Ideo, jus est partibus novum matrimonium contrahendi, in ceteris a jure non prohibitum.

Romae, die 3 januarii 1958.

Antonius Czapla, *notarius S. R. R.*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

CONFESSIO RELIGIOSAE GRAVITER AEGROTANTIS (Can. 523)

Dominicus et Ignatius, sacerdotes dioecesis Bononiensis, a proprio Ordinario rite approbati sunt, absque ulla restrictione, ad audiendas fidelium confessiones. Peregrinationis causa commorantur Assisii, in hospitio domus religiosarum. Secunda commorationis die Antistita ipsis narrat aliquam sororem in domo aegrotari graviter, quin tamen adsit mortis periculum, et manifestasse desiderium peragendi confessionem sacramentalem apud Dominicum. Adiungit sacerdotes posse modo tranquillo sumere coenam: deinde ipsa rediet ut conducat Dominicum ad cellam sororis aegrotae.

Coena perdurante sacerdotes movent quaestionem utrum Dominicus possit valide et licite audire confessiones huius sororis aegrotae?

Dominicus tenet se non posse audire confessiones. Rationes quas affert sunt:

1. Etsi in can. 523 non explicite dicatur, sicut in can. 522: « sacerdotem *ab Ordinario loci* ad mulierum confessiones excipiendas approbatum », tamen can. 523 intelligendus est de sacerdote approbato ab Ordinario loci, ubi confessiones instituuntur; sicut can. 522. Canones 522 et 523 non differunt relate ad qualitatem requisitam in sacerdote neque relate ad requisitum quod electio personae sacerdotis debet procedere ab ipsa religiosa, sed differunt quoad *rationem* ob quam permittitur electio et confessio, et differunt quoad *tempus* pro quo concessio fit (hoc in correlatione cum ratione ob quam; haec ratio enim natura sua se extendit ad aliquod temporis spatium). Ratio ob quam confessio apud huiusmodi sacerdotes permittitur et quidem habitualiter durante gravi aegritudine est ipsa gravis aegritudo. Ipsa sola sufficit. Non requiritur, sicut in can. 522, ut confessio fiat ad conscientiae quietem [1]. Sed uterque canon requirit, ut sacerdos sit approbatus ab Ordinario loci *in quo confessio fit.*

2. Si can. 523 ageret de quolibet sacerdote approbato a quolibet Ordinario loci [2], etiam ab Ordinario alius loci quam loci in quo confessio fit, religiosae essent in statu omnino favorabili et singu-

[1] Ne ad liceitatem quidem hoc requiritur durante gravi aegritudine.

[2] Ordinarius non loci sed Superior maior religiosorum (can. 198) nequit approbare pro mulieribus.

lari; alii enim fideles, sive sacerdotes, sive viri religiosi, sive laici in iisdem adiunctis (in gravi aegritudine) non possunt confiteri, nisi apud sacerdotes approbatos ab Ordinario loci in quo confessio instituitur. Hoc non est intentio legislatoris [3].

Ignatius opinatur Dominicum (et etiam ipsum) posse valide et licite audire confessionem huius religiosae. Etiam ipse habet suas rationes, quas proferre non cunctatur.

1. In can. 523 desunt verba: « ab Ordinario loci », quae habentur in can. 522. Haec verba videntur consulto omissa, quia legislator intendit concedere religiosis mulieribus graviter aegrotantibus maiorem possibilitatem eligendi sacerdotem. Earum status, gravis nempe aegritudo, hoc, si non exigere, saltem enixe commendare videtur.

2. Quidam auctores sicut Jorio [4], Marc [5] et alii docent sufficere, ut sacerdos sit approbatus a quolibet Ordinario loci. Cappello autem non audet hanc opinionem improbabilem dicere. Porro, ex hoc videtur sequi, quod viget dubium iuris positivum et probabile circa iurisdictionem habitam a sacerdotibus, qui sicut Dominicus sunt approbati, quamvis ab alio Ordinario quam Ordinario loci in quo confessio fit. Dominicus igitur certo absolvet valide, quia in dubio positivo et probabili Ecclesia supplet iurisdictionem (can. 209). Potest etiam licite procedere ad audiendam confessionem huius sororis. Nam in casu dubii actus positus ob quamlibet rationabilem causam est etiam licitus.

3. Dantur etiam alii canones sicut e. g. can. 883, quo aliquis sacerdos praeditus iurisdictione ab aliquo Ordinario loci, eam exercere potest extra territorium huius Ordinarii. Et hoc non tantum in locis ad quos nullius Ordinarii loci potestas se extendit, sicut in mari; sed etiam in territoriis aliorum Ordinariorum, in quibus navis, qua sacerdos iter perficit, aliquamdiu consistit. Nihil impedit quominus etiam can.. 523 sic intelligamus.

Quid dicendum?

---

[3] Soli religiosi clericales exempti possunt semper confiteri apud sacerdotes approbatos a proprio Ordinario religioso seu non loci, ad normas constitutionum.

[4] *Theol. Mor.* III, n. 539, 7.

[5] *Theol. Mor.* II, n. 1764.

I. Canonista qui tuto et modo scientifico vult procedere ad investigandum et statuendum ius vigens, ante omnia recurrere debet ad textum legis eiusque quaerere sensum, applicando media interpretationis bona, lege praescripta et doctrina commendata. Debet haec media recte applicare, etiam quoad ordinem in quo haec media inter se applicari debent. Agitur de textu can. 523. Propter materiae connexionem hic proponimus etiam textus duorum aliorum canonum, scilicet can. 522 et 519.

Can. 519: Firmis..., si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est.

Can. 522: Si, non obstante praescripto cann. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquilitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio, in qualibet ecclesia... peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio.

Can. 523: Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt, eique perdurante gravi infirmitate quoties voluerint confiteri.

II. Praeprimis notandum est quod absentia verborum « ab Ordinario loci » (approbatum), in se sumpta non praebet argumentum peremptorium, imo ne argumentum forte quidem, ad concludendum: non requiritur approbatio ab Ordinario loci in quo confessio fit. Ad summum haec absentia habet vim levem in favorem huius interpretationis, ita ut afferri possit tamquam aliqua confirmatio, si conclusio iam sit solide probata. Ex sola differentia inter textum can. 522 et textum can. 523 arguere non possumus. Nam verba: *ab Ordinario loci approbatum* potius in can. 522 sunt aliqualiter superflua, quam in can. 523 requisita. Etenim, agitur de potestate ad audiendas confessiones *mulierum*. Hanc autem iurisdictionem sub iure Codicis nemo dare potest nisi Ordinarius loci. Qui explicite requirit sacerdotem ad *mulierum* confessiones audiendas approbatum, implicite requirit sacerdotem *ab Ordinario loci* approbatum. Iam in genere, si excludamus illam specialem iurisdictionem ad audiendas confessiones quae conceditur a Superiore religioso et restringitur ad coetum restrictum personarum (can. 875 § 1), po-

testas audiendi confessiones fidelium *quorumlibet* dari tantum potest ab Ordinario loci (can. 874 § 1).

III. Ex hoc sequitur quod non recte interpretamur can. 523, si absentiam dictorum verborum invocemus ad solvendam quaestionem, utrum in hoc canone agatur de sacerdote approbato ab Ordinario loci in quo confessio fit an etiam de sacerdote approbato ab Ordinario alio seu non huius territorii. Praesentia aut absentia istorum verborum tantummodo habet valorem pro quaestione, utrum agatur de iurisdictione concessa ab Ordinario *loci* aut etiam de sacerdote approbato ab aliquo Ordinario *non loci*, i. e. ab Ordinario religioso in religione exempta. Quaestio quam praeprimis ponere et solvere debemus est: utrum can. 523 agat de sacerdote approbato ab Ordinario *loci* an etiam de sacerdote approbato ab Ordinario *non loci*. Ratio movendi dubium seu quaestionem est absentia verborum *ab Ordinario loci*. Responsio ad quaestionem est: can. 253 requirit ut sacerdos habeat iuridictionem ab Ordinario *loci*. Ratio: quia canon requirit iurisdictionem ad audendas *mulierum* confessiones. Hanc iurisdictionem nemo dare potest nisi Ordinarius loci. Discrimen inter can. 522 et can. 523 igitur non est in hoc, quod can. 522 requirit ut sacerdos habeat iurisdictionem ab Ordinario *loci* et can. 523 hoc non requirit. Discrimen est in hoc quod can. 522 approbationem ab Ordinario loci requirit *explicitis verbis;* can. 523 idem requirit *implicite*. Uterque canon (et insuper can. 519) agit de sacerdote approbato ab Ordinario loci, sed aliter et aliter. Can. 522 explicite; can. 523 implicite [6].

IV. Hoc statuto via aperta est ad ulteriorem investigationem. Omnes hi canones, sive explicite sive implicite, requirunt approbationem *ab Ordinario loci*. Pro omnibus tribus simul deinde de-

---

[6] Etiam haec consideratio demonstrat infirmitatem ratiocinationis ex omissione verborum: *ab Ordinario loci*. Ratio quae nititur omissione verborum quae in alio canone, materia simili, habentur, est semper debilis; iam quia agitur de *omissione*. Sed infirmitas augetur non leviter, si discrimen verborum non proprie respicit res, in quibus duo canones sibi opponuntur. Cann. 522 et 523 non proprie opponuntur ratione eorum quae dicunt de sacerdote, sed ratione eorum quae dicunt de circumstantia, in qua concessio datur (aegritudo) et de duratione concessionis. Relate ad qualitatem sacerdotis duo canones non opponuntur, nisi quod unus explicite exigit quod alter exigit implicite. In his casibus periculo errandi non levi se exponit interpres, qui ratiocinatur ex *omissione* aliquorum verborum.

terminandus est sensus istius eiusdem requisiti. Pro canonibus, qui explicite loquuntur, res est clara et certa. In can. 519 et in can. 522 agitur de Ordinario loci, in cuius territorio confessiones audiuntur. Haec verba ubique habent hunc sensum. Non recte agit interpres qui haec verba interpretatur in alio sensu. Quoties Codex aliud statuat, in textu legis hoc manifestat usu aliorum verborum aut contextu, sicut facit in can. 883, ubi requirit approbatio a proprio Ordinario loci pro sacerdotibus, qui indigent iurisdictione exercenda in locis, qui sunt extra territorum concedentis [7]. Sequitur quod, etsi can. 523 minus explicite et minus clare loquatur, nihilominus, quia implicite requirit approbationem ab Ordinario loci, requirit approbationem ab Ordinario loci in sensu ordinario, i. e. ab *Ordinario loci in cuius territorio potestas exercetur et confessones audiuntur.*

V. Statuentes hanc conclusionem absolvimus positivam et directam interpretationem can. 523. Canonem interpretati sumus sicut praescribit can. 18, scilicet secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratorum. Et cum nihil remaneat dubium vel obscurum, neque applicatio huius interpretationis normae principalis ducat ad conclusionem, quae admittere rationabiliter non possumus, ipsa est simpliciter tenenda, et lex sic intelligenda est et applicanda.

Confirmatio.

VI. Totus complexus trium horum canonum, qui materias regunt valde similes, imo pro parte easdem, sed relate ad diversas personas, fortiter suggerit hanc interpretationem. Quid enim faciunt hae tres normae speciales, statutae pro religiosorum et religiosarum confessionibus?

Religiosi, tam viri quam mulieres, minore gaudere solent libertate instituendi confessionem sacramentalem, quam gaudent alii fideles. Sive iure communi sive iure particulari (constitutionibus, privilegiis) religiosi privati sunt libertate instituendi confessionem sacramentalem, qua gaudent ceteri fideles, scilicet adeundi quemlibet sacerdotem ab Ordinario loci in quo commorantur et confitentur approbatum. Religiosorum libertas est restricta. Restrictio quandoque respicit solam liceitatem, quandoque et saepius etiam

---

[7] Quare ratio tertia ab Ignatio allata, scilicet ex comparatione cum can. 883, fallit.

validitatem confessionis et absolutionis, ob restrictionem ipsius iurisdictionis. Usque ad Codicem libertas religiosorum erat magis adhuc restricta quam hodie. Nam sub influxu iuris novi multa statuta particularia sunt abrogata et e constitutionibus deleta [8].

VII. Ob iustas et graves causas autem legislator noluit omnes restrictiones Codicis promulgatione tollere. Etiam sub Codice religiosi et magis adhuc religiosae relate ad confessiones sacramentales non gaudent eadem libertate ac alii fideles. Attamen, quoad aliquos casus Codex ipsis concedit eandem libertatem ac habent alii, scilicet:

1. Viris religiosis, qui ad normas constitutionum similiumve legum aut statutorum ad liceitatem tenentur confiteri apud determinatos confessarios aut unum determinatum confessarium, conceditur libertas adeundi quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum, a. v. ipsis conceditur id, quod omnibus fidelibus in hac re est licitum. Hoc autem non conceditur absque ulla restrictione. Secus tolleretur ius commune de determinato confessario. Requiritur, ut religiosi hoc faciunt ob rationem specialem, quae est « ad suam conscientiae quietem ». (can. 519).

2. Mulieribus religiosis, quae versantur in aliis adiunctis quam viri, quia ipsa iurisdictio quae *generaliter* conceditur (ab Ordinario loci) non se extendit ad eas (can. 876), et quia insuper pertinent ad categoriam fidelium circa quorum confessiones Ecclesia solet sustinere quasdam cautelas speciales (cann. 909-910), pro casu confessionis instituendae ad conscientiae tranquilitatem canon 522 concedit eandem libertatem ac concedit viris et omnibus fidelibus in genere. Haec concessio respcit tam liceitatem quam validitatem, ob rationem iam dictam. Ipsa tamen manet intra limites, quas ius etiam statuit pro aliarum mulierum confessionibus scilicet, ut confessio fiat apud sacerdotem pro mulieribus approbatum et fit in ecclesia vel oratorio saltem semipublico. Etiam hic concessio pro casu indicato concedit religiosis illam libertatem, qua gaudent mulieres non religiosae: adeundi scilicet sacerdotes pro mulieribus approbatos ab Ordinario loci, in qua confessio fit.

---

[8] Ante Codicis promulgationem in Constitutionibus Fratrum Praedicatorum habebatur praescriptum (in meo novitiatu hoc adhuc didici tamquam ius vigens): confessio fratrum instituta apud sacerdotem extra Ordinem illicita et invalida est, quoties poenitens habeat copiam trium saltem confessariorum *in ordine* approbatorum. Ni fallor plures Ordinum constitutiones habebant idem praescriptum. Religiosi et canonistae iuniores istum statum iuridicum difficulter intelligunt. Eius cognitio conducit ad aestimandam innovationem, a Codice inductam.

3. Mulieribus religiosis aliquid simile conceditur pro alio casu, scilicet pro casu gravis aegritudinis [9]. Hoc fit in can. 523. Loco circumstantiae « ad tranquilitatem conscientiae » venit « cum graviter aegrotant ». De loco quo confessio fieri debet non est sermo, quia graviter aegrotantes solent aut decumbere in lecto aut saltem esse impeditae ne adeant ecclesiam vel oratorium. Propterea canon habet verbum *arcessere* loco verbi *adire* [10]. Ad confessarium autem quod attinet can. 523 iterum videtur statuere idem (efficere idem), scilicet concedere religiosae graviter aegrotanti illam libertatem, qua gaudent aliae mulieres, i. e. libertatem confitendi apud quemlibet sacerdotem pro mulieribus approbatum ab Ordinario loci in quo confessio fit.

VIII. Si can. 523 intelligatur de confessario approbato ab Ordinario loci in quo confessio fit obtinetur legislatio cohaerens et quam vir prudens expectare potest. Esset concessio omnino exorbitans a iure quod regit confessiones et iurisdictionem ad eas necessariam, et hor sine vera necessitate etiam in sensu lato, mulieribus religiosis graviter aegrotantibus concedere id quod ne aliis mulieribus est concessum scilicet peccata confiteri apud sacerdotem, qui non est approbatus ab Ordinario loci in quo confessio fit, sed approbatus ab aliquo alio Ordinario cuius potestas se non extendit ad locum in quo confessio instituitur [11].

IX. Concludendum igitur est: sententia quae tenet etiam in can. 523 requiri, ut sacerdos sit approbatus ab Ordinario loci in quo confessio fit, est rationibus solidis probata tamquam certo vera. Sententia contraria non est solide probabilis. Quapropter etiam non viget dubium iuris positivum et probabile, de quo loquitur Ignatius.

Nota.

X. Animadvertere adhuc nos iuvat quod Ignatius (et in hoc pro dolor! non est solus) nimis faciliter concludit ad dubium iuris probabile. Silentio transeamus nunc meram appellationem ad aliquos auctores. Dubium iuris non iam constituitur ex hoc solo, quod ali-

---

[9] Periculum mortis iam per se non attenditur, quia tunc quilibet sacerdos valide et licite absolvere potest quemlibet fidelem (c.882)

[10] Ceterum, discrimen inter *arcessere* et *adire* prout hoc verbum sumitur in can. 522, est fere nihil.

[11] Ratio quam Dominicus secundo loco affert est, si forsitan non peremptoria, tamen habens vim probandi non levem.

qui hoc declarant et tenent, e.g. Jorio et Marc, duo moralistae. Ut optime notat Van Hove, magnae scientiae et prudentiae canonista: sententia et interpretatio privata seu doctrinalis valet, quod valent *rationes* quae dantur [12].

Nunc autem quaestionem de dubio iuris considerare intendo sub alio aspectu. Respondendum est ad quaestionem: quid vigeat tamquam ius, *dato non concesso quod* can. 523 est lex dubia, admittens duplicem interpretationem? Non enim licet nobis praecipitanter admittere dubium iuris, de quo est sermo in can. 15 et in can. 209. Multi dantur casus in quibus *lex* dubia non facit *ius* dubium, sed ius vigens nihilominus est certum. Supponamus nunc quod can. 523 admittit duplicem interpretationem, scilicet illam Dominici (lex agit de sacerdote approbato ab Ordinario loci in quo confessio fit) et illam Ignatii (lex agit etiam de sacerdote approbato ab Ordinario alius loci). Patet quod hae duae interpretationes se habent tamquam interpretatio stricta et interpretatio lata. Porro, etiam constat canonem 523 esse legem quae exceptionem a lege continet (can. 19). Haec lex generalior est can. 520 (et can. 874 qui eandem materiam regit consideratam ex parte sacerdotis absolventis). Can. 523 continet exceptionem a lege cann. 520 et 876 statuta [13]. Estne propterea can. 523 stricte interpretanda ad normam can. 19? Stricta interpretatio praebet confirmationem interpretationis modo a nobis datae. Mihi videtur quod interpretatio can. 523, si hunc supponemus legem dubiam, non regitur can. 19. Lex enim quae exceptionem a lege (alia) continet, potest esse lex quae statuit ius singulare (e. g. lex statuens exemptionem regularium) et potest esse lex quae statuit iuris singularitatem. Tantummodo leges quae continet iuris singularitates sunt leges, quas can. 19 designat formula: *leges quae exceptionem a lege continent.* Can. 523 (et etiam can. 522 et 519) videntur esse leges, quae sunt partes integrantes unius completae legislationis circa confessionem religiosorum, eam integrantes et determinantes, ne libertas desiderata ob rationes boni communis nimis coarctetur.

Si autem can. 19 non praebet solutionem dubii, manet adhuc can. 15: in dubio iuris lex non urget. Igitur, dato non concesso, can. 523 esse legem in se dubiam, ei debemus applicare can. 15. Cum can. 523 non sit lex *obligans,* sed lex *concedens* facultatem agendi, verba: *lex non urget* hic non significant *lex non obligat.*

---

[12] A. van Hove, *De legibus,* n. 242.

[13] Can. 522 verbis « non obstante can. 520-521 » clare indicat normas quas statuunt hi duo canones esse exceptiones ad legem generaliorem statutam cann. 520-521.

sed significant *lex non regit* casus circa quod viget dubium; a. v. can. 523 *non concedit* facultatem confitendi apud sacerdotem non approbatum ab Ordinario *loci in quo confessio fit.*

Sequitur quod saltem omnes auctores qui praebentes rationes solidas admittunt nostram interpretationem non esse omnino certam, sed tamen solide probabilem, cum nobis admittere debent idem ius, scilicet quod can. 523 requirit sacerdotem approbatum ad Ordinario loci in quo confessio instituitur.

STATUS DOCTRINAE APUD AUCTORES.

XI. AERTNYS-DAMEN [14] statum doctrinae bene exponit dicens: « iuxta aliquos [15] vero probabiliter (in casu can. 523) non requiritur, ut ab Ordinario loci in quo confessio fit sit approbatus, modo approbationem pro mulieribus habeat ab alio Ordinario. Canon enim, ita isti, simpliciter requirit sacerdotem approbatum; dum e contra canon antecedens expresse exigit sacerdotem ab Ordinario loci approbatum. Quae ratio magis urget ex hoc quod in decreto *Cum de Sacramentis* (3 Febr. 1913) tam in n. 14 (can. 522) quam in n. 15 (can. 523) tantum requiritur confessarius pro utroque sexu (n. 14) vel sacerdos ad confessiones excipiendas approbatus, quin ab Ordinario loci sermo sit. Porro, in novo Codice in can. 522 diserte requiritur confessarius ab Ordinario loci pro mulieribus approbatus, in can. vero 523 de Ordinario loci sermo non habetur; dum nulla ratio de tali omissione assignari possit, si etiam in eo casu confessarius praecise ab Ordinario loci et non ab alio approbatus esse deberet ».

Haec tamen sententia, addit auctor, nobis iam non videtur solide probabilis; nimis subtiliter enim contra intentionem legislatoris sustineri videtur.

XII. Ad verba auctoris animadvertere nos iuvat:

1. Merito auctor admittit quod sententia *aliquorum* non est sufficiens ad causandum dubium iuris probabile. Hoc praeterquam e natura ipsius dubii iuris, etiam patet ex aliqua interpretatione authentica data ad can. 1099 § 2, comma secundum [16]. Circa legem

---

[14] *Theol. Mor.* II, n. 377.

[15] E. g. MARC, o. c.; WOUTERS, in *Ned. Katholieke Stemmen*, 1918. Ipsi sunt pauci et non sunt canonistae sed moralistae.

[16] Assertio Ignatii « Cappello non audet negare probabilitatem huius sententiae », potius demonstrat Ignatii in scientia canonica ingenuitatem quam opinionis suae probabilitatem. Nam ego, et multi canonistae cum me, nos audemus negare hanc probablitatem. Sed neque defectu animi apud Cap-

quam interpretatur haec interpretatio authentica non habebatur *opinio aliquorum,* sed *sententia multorum,* fere omnium, canonistarum, tenens canonem agere de iis baptizatis tantum, qui sunt nati ex *duobus* parentibus acatholicis. Commissio Pontificia non tantum dedit interpretationem authenticam, qua statuitur contrarium, sed insuper authentice declaravit illam interpretationem esse declarativam *legis in se certae,* a. v. ius vigens semper fuisse conforme interpretationi, quae amplectitur interpretationem minoris partis interpretum privatorum et proinde ante promulgationem interpretationis authenticae non viguisse dubium iuris [17], de quo est sermo in can. 15.

2. Sententia istorum *aliquorum* nititur absentia verborum « ab Ordinario loci approbatum » et textu decreti anni 1913, n. 15. De absentia verborum iam locuti sumus (n. II). Verba explicita desunt, sed implicite requiritur id, quod his verbis exprimitur, quia requiritur approbatio *pro mulieribus.*

Recursus ad textum decreti praebet rationem ad summum debilissimam. Etenim:

a) In decreto concessiones (n. 14 et 15) quoad approbationem differunt in eo quod in n. 14 requiritur approbatio pro mulieribus (pro utroque sexu), in n. 15 e contra quaelibet approbatio ad confessiones audiendas. In Codice concessiones discrepant in alia re, scilicet in eo quod in can. 522 explicite, in can. 523 implicite requiritur approbatio ab Ordinario loci, cum in utroque canone requiritur approbatio pro *mulierum* confessionibus.

b) Est minime certum quod decretum 1913, n. 15 non requirit approbationem ab Ordinario loci. Valde probabile saltem est quod etiam decretum agit de approbatione illa ordinaria, qua sacerdos gaudet facultate audiendi confessiones *omnium* fidelium, qui non sunt lege quadam speciali excepti, et de approbatione obtenta ab Ordinario de cuius territorio et de cuius subditis agitur. A. v. valde probabile saltem est, quod decretum intelligendum est *secundum principium generaliter admissum* in hac materia canonica:

---

pello neque animo meo et aliorum aliquid probatur. Probandum est datis rationibus, quod sententia cuius probabilitas Cappello non audet negare revera. est probabilis. Et probandum est datis rationibus, quod sententia cuius probabilitas ego audeo negare revera non est probabilis. Hoc probavi in meo articulo.

[17] Nam si viguisset dubium iuris, normam can. 1099 § 2 statutam non efficaciter regisset casus, in quibus agitur de persona nata ex parentibus quorum alteruter tantum est catholicus.

quilibet Ordinarius regit in suo territorio potestatem audiendi confessiones, salvo iure proprio religiosorum exemptorum.

Quare, etiam cum cautione debemus accipere assertionem: can. 522 *expresse* exigit sacerdotem ab Ordinario loci approbatum, quoties sermo est de discrimine inter hos duos canones. Nam proprie et stricte loquendo tam can. 522 quam can. 523 hanc eandem approbationem exigunt *expresse,* sed ille explicitis verbis, hic implicite, exigens approbationem pro mulieribus [18].

Conclusio finalis.

XIII. Si attendamus ad solas sententias diversas, abstrahentes ab illarum valore, qui dependet non a qualitate personae quae eas proclamat, sed a rationibus quas iste praebet, debemus concludere:

1. Fere omnes *tamquam certam* tenent interpretationem strictam et proinde sententiam a nobis propugnatam et probatam.

2. Nemo in quantum scio tenet interpretationem contrariam seu latam *esse certam.*

3. Aliqui pauci tenent interpretationem latam esse probabilem seu legem esse dubiam. Ipsi autem debent, si velint recte procedere in iuris interpretatione, saltem applicatione can. 15 pervenire ad ius certo vigens,quod etiam nos admittimus vi sententiae communis.

Si Dominicus audivisset confessionem huius sororis aegrotantis, egisset illicite et invalide. Patet tamen: *obiective.* Utrum et qua gravitate peccavisset *subiective,* dependet a statu suae conscientiae, de quo hic non agitur.

Dr. L. Bender, O. P.

---

[18] *Expresse* non opponitur *explicite,* sed opponitur *tacite. Expresse* est aut explicite aut implicite. Vide i. a. cann 1096 § 1; 199 § 1. Vide L. Bender, *Forma iuridica celebrationis matrimonii,* (Romae, 1960), n. 141. Idem, *Potestas ordinaria et delegata,* n. 187.

DE SPECIFICA COMPETENTIA S. CONGREGATIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM DECLARANDI NULLITATEM MATRIMONII AD SENSUM c. 249 § 3.

1. - Cum frequenter casus dentur ad S. Congregationem de Sacramentis quaestiones de re matrimoniali, quae sat clarae sint ut immediatam solutionem expostulent, deferendi, operae pretium visum est ita hanc S. Congregationis provinciam expendere ut facilius et commodius Curiae, quarum interest, ad eamdem recurrere possint.

Antiquitus usuvenerat, praesertim in altera instantia, ut praecipue S. Congregatio Concilii de matrimonii validitate sententias seu decisiones proferret. Cum autem propria organa iudiciaria, per se, non haberet, S. Congregatio Concilii decisionem dare solebat si causa iam pertractata iudiciario modo fuisset, etiamsi de casu ageretur evidentis nullitatis [1]. Ratio est quia competentia S. Congregationis in sphaera praecipue administrativa, ex constitut'one saltem, extendebatur, etsi opportune etiam iudicialem quamdam potestatem saltem definiendi comprehenderet, quae magis ac magis tempore progrediente de facto aucta comperitur. Ita, etiamsi gravissimae concurrere viderentur circumstantiae, quae causam aliquam penes S. Congregationem in prima quoque instantia resolvendam suasissent, nihilominus ipsam respectivo Ordinario remittendam esse pro instructoria conficienda eadem S. Congregatio pluries declaraverat [2].

S. Congregatio S. Officii a. 1889 permisit Ordinariis ut, in casibus nullitatis evidentis, matrimonia nulla declararent, quin opus esset secunda instantia: « iis dumtaxat adhibitis probationibus et formalitatibus, quae adquirendae certitudini de exsistentia impedimenti non dispensati iure naturali requiruntur et sufficiunt » [3].

Paullatim igitur eo deventum est ut nulla vera distinctio haberetur inter potestatem administrativam, quae « subditos regit intra limites legis, curat, et fovet publicum bonum, libere ex arbitrio procedens, singulis aptans quae generice a lege statuuntur » [4], et

---

[1] Pallottini, *Collectio Resolutionum*, Romae, 1868, voce *Matrimonium*, XXVII, 99.

[2] V. gr. in una *Ianuen.*, 14 nov. 1699; in una *Brundusina*, 15 nov. 1692 (Pallottini, op. et l. cit., 6, 15), etc.

[3] Cfr. Decretum 5 iun. 1889 (*Collectanea de S. C. de Prop Fide* n. 1706). Cfr. etiam Cappello, *De Sacramentis*, III. Romae, 1933, p. 1021.

[4] Em.mus Roberti, *De Processibus*, I, Romae, 1941, p. 106-107.

potestatem iurisdictionis, quae « ordinem iuridicum tuetur, legum exsecutionem curans iuxta normas processuales, logice procedens, neutri parti favens » [5].

2. - At, in piana Curiae reformatione Sacrae Congregationi de Sacramentis ea omnia tributa sunt, quae usque ad annum 1908 ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant in disciplina Sacramentorum. Praecisius, pro re nostra, quaestiones de validitate matrimonii eadem S. Congregatio dirimere potuit, salvo iure Sancti Officii: « Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat » [6]. Quae Apostolicae Constitutionis verba ita authentice interpretata sunt ut « si quando in casu particulari congressus (S. Congregationis) iudicaverit causam aliquam iudiciario ordine pertractandam esse », tunc S. Congregatio « eam definiendam ad proprios iudices ac sua tribunalia » deferre deberet [7]. In *Ordine* autem *servando* dicebatur: « Plenae Congregationis iudicio reservatur: *a*) in re ad matrimonium pertinente, ... *cognitio causarum irriti matrimonii* ... quae plenae Congregationis iudicium postulent; denique dubia omnia iuris circa disciplinam sacramenti matrimonii, quibus obvia et perspicua solutio nulla inveniatur in causis alias decisis » [8].

Revera, huiusmodi dispositiones non ita intelligendae erant ut omnimodam iudiciariam potestatem Sacrae huic Congregationi concederent, quod contra mentem reformationis fuisset, aut quaestiones de validitate aut nullitate matrimonii arbitrio iudicandas committerent, cum arbitrium in causis matrimonialibus non admittatur [9]. Quia enim matrimonium Deo auctore fuit institutum, non potest dissolvi quoad Ecclesiam, nisi per illum, qui habet auctoritatem cum iurisdictione, quam non habet arbiter [10].

Quare, quaestiones de validitate aut nullitate matrimonii, ad competentiam Sacrae Congregationis de Sacramentis spectare censebantur eo tantum sensu, « quod si quando aliqua huiusmodi

---

[5] Ibid.

[6] Cfr. Const. *Sapienti Consilio*, 29 iun. 1908, § I, 3°, 2-3.

[7] S. C. Cons., *Romana*, 29 ian. 1909.

[8] Cfr. *Ordo Servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae*, 29 sept. 1908, Pars II, cap. VII, art. III, n. 11.

[9] c. 9. X. I, 41; cfr. etiam 8 § 6. D. 4.

[10] *Glossa* ad c. 9. X. I, 41. Iudicium enim potestatis per se administrativae arbitrale considerabatur. Nihilominus *cognitio* in re iudiciali specifice et praecise ad iudicem pertinet, non ad arbitrum.

causa directe ad S. Sedem deferretur eamque Pontifex nollet ad S. Rotam remittere ob aliquas peculiares rationes, sed iudicaret remittendam ad S. Congregationem competentem, ea consideranda esset S. Congregatio de Sacramentis, quae, quum de re matrimoniali agat, aptior est ad hoc ut delegetur ad cognitionem harum causarum » [11]. Aliis verbis, S. Congregatio « veram quamdam harum causarum tractationem assumere non potest, sed ea, quae sunt ad tractationem iudicialem praevia, potest ipsa, si casus datur, videre » [12].

3. - Verum, negari non potest tum ex antiquissima traditione ecclesiastica praesertim ex iurisprudentia S. Congregationis Concilii, tum ex ipsa Apostolica Constitutione, tum, denique, ex praescripti Codicis formulatione, certam quamdam potestatem iudiciariam Sacrae Congregationi de Sacramentis inesse. Praeter enim dispositionem c. 1557 §§ 1 et 3, quod Romanus Pontifex hanc S. Congregationem opportune delegare posset ad specificas causas cognoscendas et definiendas, ait. c. 249 § 3: « *Pariter ad eam (S. Congregationem) deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat* ».

Adverbium *pariter* ponitur pro *ex aequo, aequaliter*, et simul coniungit periodum litterariam ad praecedentem partem eiusdem §, novamque dispositionem iuridicam ad totam refert provinciam Sacrae huius Congregationis competentiae. Verbum *deferre* proprie non est accusare, sed apud magistratum vel iudicem de aliquo

---

[11] Cfr. Oietti, *De Romana Curia*, Romae, 1910, pp. 75-76.

[12] Cfr. Oietti, ibid., p. 76. Iam ante reformationem pianam, aiebat Card. De Luca: « Sacrae Congregationes erectae fuerunt non quidem ut in forma iudicum et tribunalium cum processu ac tela iudiciali causas contentiosas decidant... sed ut in forma summaria et extraiudiciali decidant vel componant controversias... » (*De iudiciis*, Disc. 47, n. 7). Siquidem, ipsae « utpote vicarias Papae partes explicantes, quandoque pro negotiorum qualitate, rigorosos iuris cancellos egredi, atque cum illis legibus vel regulis, quae prudentiales dicuntur, procedere, ut negotiis finis vel temperamentum magis opportunum concedatur » (*Rel. Rom. Cur.*, Disc. 32, n. 91) Et recte; aequitas enim praefertur rigori. Et etiam in dispositionibus legalibus potior est mens dicentis quam nuda eius vox, praesertim si aliqua ambiguitate laborat. Leitner quoque tenet competentiam S. Congregationis Sacramentorum proprie restringi ad casum « quando agitur de casu practico qui in linea disciplinari disceptandus est »; sed iudicium utrum via disciplinaris an iudiciaria eligenda sit, huic sacro Dicasterio ex lege reservat (*De Curia Romana*, Romae, 1909, p. 16).

crimine ante accusationem denunciare. *Quaestio* idem est ac controversia.

Evidenter, cum Const. Ap. *Sapienti Consilio* profunde et expresse intenderet ut ordo iudicialis ab ordine administrativo seu disciplinari pro posse seiunctus esset et separatus, verba adhibuit quae, dum a traditione et a iurisprudentia ecclesiastica non abessent, tamen contra mixtionem et confusionem utriusque ordinis intelligerentur, resque ad pristinum ordinem restituerent.

Huiusmodi inter potestatem administrativam et iurisdictionalem distinctio in Codice solidior indubie facta est, non vero absoluta et undequaque perfecta. Nam S. Officium est simul Congregatio et tribunal (cc. 247, 1962); Congregationes causas matrimoniales quae Romano Pontifici personaliter reservantur (c. 1962) de mandato Ipsius cognoscere possunt; Congregationes S. Officii et de disciplina Sacramentorum decernere debent utrum causae de Sacra Ordinatione iudiciario ordine an disciplinae tramite sint pertractandae (c. 1993 § 1); Congregatio de Religiosis videt veluti in secunda instantia sententias dimissionis quae a tribunali religiosorum promanent (c. 666) [13]; Congregatio de disciplina Sacramentorum quaestiones de validitate matrimonii quae accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant, rite cognoscit (c. 249 § 3). Hinc, pro re nostra, tantum formae processuales strictae cum disceptatione iudiciali in contradictorio, etsi istae caput distinctionis efficere non possint, Sacris Congregationibus, negantur, in re, quae ordinarie iudiciario tramite esset tractanda quaeque nihilominus ex Codice eisdem conceditur.

4. - Coeterum, potestas iudicialis seu iurisdictionalis quae, in re nostra, S. Congregationi de Sacramentis competit, quamquam profundius extendatur et veluti generalis sit, ad casus limitatur, qui similitudinem praebeant cum casibus exceptis, de quibus in cc. 1900-1992, in omnibus scil. processibus praecipue documentalibus, qui dicuntur, in quibus, ex documentis vel ex aliis legitimis sed simplicibus probationibus, libero alveo emergit matrimonii nullitas, nulla praehabita vera in contradictorio disceptatione.

Quare, Sacra Congregatio, postquam in Congressu, iuxta praxim sibi propriam, examinaverit quaestionem illi delatam, si iudicaverit casum esse satis instructum et solide ius partium ex documentis aliisque legitimis probationibus emergere, potest illum decidere decreto nullitatis; quod facere tunc potest *cum* vel *sine*

---

[13] Em.mus Roberti, o. c., p. 113.

interventu Vinculi Defensoris. Si vero in Congressu Sacra eadem Congregatio iudicaverit casum non esse sufficienter instructum, v. gr. si dubium emerserit de genuinitate aut authenticitate alicuius documenti, de veritate obiectiva alicuius confessionis, etc., tunc casum ad tribunal competens *remittat*. Tempus quoque adhibiti verbi possibilitatem indigitat, non necessitatem. Non enim dicitur: *remittere debet*, sed simpliciter: *remittat*, nempe si ipsi videbitur. Neque amplius in Codice hos casus remittendos esse ad S. Romanam Rotam dicitur, sed simpliciter: *ad tribunal competens*.

Insuper, ex verbis canonis: « si *accuratiorem* disquisitionem aut investigationem exigant » aperte indigitatur *quamdam* disquisitionem aut investigationem praecedere potuisse. Porro *disquisitionem* vocabant antiqui iudicium per opiniones, cum opinionem vel sententiam omnes rogantur. *Investigatio* vero est indagatio, inquisitio, perquisitio, reperitio, deprehensio. Inde disquisitio est proprie officium iudicis definitionis, investigatio vero iudicis instructoris. Quare, si res clara non est aut nondum sufficienter instructa, Congressus potest aut Commissioni alicui rem ipsam discutiendam amandare aut ad discussionem Iudicum proprie casum remittere, aut ad Iudicem Instructorem ut acta compleantur. Ut igitur in axiomate iuridico habetur, a verbis legis sine sufficienti et proportionata ratione non est recedendum.

Dispositio c. 249 § 3 repetitur in art. 2 Instructionis 15 aug. 1936, in quo Sacra ipsa Congregatio propriam adfirmat declaratque competentiam. Etiam Pontificia Commissio Codicis ,8 iul. 1940 [14] expresse recognovit S. Congregationi de Sacramentis inesse « ius dirimendi (scil. iudicandi, dissolvendi, decidendi) quaestiones de validitate matrimonii, quae ad eam deferantur, dummodo eaedem accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant, ad normam canonis 249 § 3 ».

Etiam S. Congregatio pro Ecclesia Orientali, quae, quoad Orientales, totam retinet potestatem relate quoque ad Sacramenta, « controversias dirimit via disciplinari; quas vero ordine iudiciario dirimendas censuerit, ipsa, *servato eodem ordine*, cognoscet aut ad tribunalia ordinaria Apostolicae Sedis remittet » [15].

Quaestio salebrosa ante a. 1940 de pratica competentia Sacri Dicasterii de disciplina Sacramentorum revere agitabatur, quae

---

[14] *A.A.S.*, 1940, p. 318.

[15] Cfr. C. I. C. Orient., c. 210 § 1, 1°, § 2. Nota insuper differentiam inter *remittat* c. 249 § 3 Cod. Lat. et *remittet* c. 210 Cod. Orient.

occasionem praebuit Pontificiae Commissioni Codicis ad melius clarificandam provinciam propriam Sacrae Congregationis [16]. Nam ipsa habet absolutam et universalem competentiam in re administrativa et disciplinari circa Sacramenta, salvo iure S. Officii; in re vero « tribunalitia », potestas tantum « normativa » ei recognoscitur cum consequenti sphaera vigilantiae circa legum procedurae observantiam circaque generalem tribunalium disciplinam, non vero undequaque absoluta et supra omnem controversiam « generalis et praeeminens iurisdictio in causis nullitatis matrimonii » [17]. Salva igitur autonomia tribunalium in exercitio potestatis iudicialis, nihil vetat quominus ipsa tribunalia causam simplicem iam inceptam ad hanc Sacram Congregationem pro definitione mittant vel deferant si accuratiorem disquisitionem aut investigationem controversia non requirat, praesertim si desint elementa iudicii formalis. In iisdem adiunctis id, a fortiori facere possunt tum Ordinarius loci peracta generali inquisitione etiam extraiudiciali, tum partes ipsae.

5. - Nullum proinde dubium circa competentiam etiam quadamtenus iudiciariam huius Sacrae Congregationis matrimonia dissolvendi. Ad summum, si quod dubium fingi potest, hoc esset tantum de convenientia, de opportunitate quod, in determinatis circumstantiis, sacrum hoc Dicasterium sua potestate utatur; cuius dubii solutio unice eidem Sacro Dicasterio pertinet.

Clare igitur patet, praeter theoriam casuum exceptorum, de quibus in cc. 1990-1992, Sacram hanc Congregationem theorica potestate praeditam esse, cumulative cum Ordinariis locorum et salva competentia S. Officii, dirimendi omnes controversias de validitate matrimonii. *Possunt*, dicit textus legalis: verbum *potest* possibilitatis est, non coactionis [18]. Quae quidem iurisdictio cumulativa *exclusiva* reddi potest ab ipsa S. Congregatione, quae, sive ante propositionem, sive iudicio incepto, sibi suoque iudicio omnes prorsus casus huius generis, seu sensu nuper explicato, avocare potest. Quodsi adhuc supplementa requirantur instructoriae aut iudicum discussiones, casus remittendi sunt ad iudicem

---

[16] PCC., 28 iul. 1939 et 8 iul. 1940.

[17] Cfr. Pugliese, *Le nuove norme sui tribunali ecclesiastici regionali* (*Rivista del Diritto Matrimoniale*, Milano, 1941, fasc. 4); Bertola, *Il Matrimonio Religioso*, Torino, 1953, pp. 263-267.

[18] Aliter dicendum esset si loco *possunt* lex verbum *debent* adhibuisset; nam verbum *debet* importat necessitatem. Verba enim sunt intelligenda cum effectu suo.

competentem ut, potestate ab ipsa delegata suppletis quae supplenda erant, ad eam iterum ipsi remittantur pro decisione definitiva. Ipsa enim in hodierna constitutione organa, ut ita dicam, « tribunalitia » non habet. Verum, aliquo concesso, ea omnia intelliguntur concessa, sine quibus eo commode uti non possumus [19]. Ita etiam organa iudicialia Sacra Congregatio habere dicenda est, quatenus nempe deleget tribunalia, quae nomine et auctoritate ipsius agent, quemadmodum fit in processibus de rato et non consummato et in processibus Sacrae Ordinationis.

6. - Ita communiter Canonistae, iuxta quos explorati et inconcussi iuris est competentia iudicialis S. Congregationis in quaestionibus de validitate matrimonii quae ad eam deferuntur [20]. Prudenter Cappello [21] adsignat Sacrae Congregationi « cognitionem causarum matrimonialium *in linea disciplinari* » et instat ipsam dirimere « causas nullitatis matrimonii, si in ordine procedendi administrativo definiri queant; secus easdem remittere debere (quod tamen lex non dicit, ut supra ostendimus) ad tribunal competens ». In eadem linea manet Badii [22], qui ait: « imo dirimit quoque quaestiones de validitate matrimonii, incolumi iure S. Officii; hinc *in linea disciplinari* facultatem habet cognoscendi etiam causas matrimoniales ».

Verum Signatura Apostolica nullam de potestate S. Congregationis circa declarationes nullitatis matrimonii ex c. 249 § 3 men-

---

[19] Cfr. 43, 44. D. 50, 16; 6. D. 34, 1.

[20] Cfr. Blat, *Commentarium textum Codicis*, II, Romae, 1919, p. 218; Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, I, Romae, 1929, p. 235; Falco, *Introduzione allo studio del Codex Iuris Canonici*, Torino, 1925, p. 144; Augustine, *A Commentary on Canon Law*, II, St. Louis, 1919, p. 255; Cocchi, *Commentarium in Codicem Iuris Canonici*, III, Augustae Taurinorum, 1940, p. 84; Berruti, *De Curia Romana*, Romae, 1952, pp. 32-33; Bartoccetti, *Congregazioni Romane* (Enciclopedia Cattolica, h. v.). Hic ultimus expresse ait: « Quanto alla podestà delle S. C., ed al valore giuridico dei loro atti, si può dire che esse sono di per sè principalmente organi amministrativi e di governo, *quantunque talvolta compiano anche attività giudiziarie* ed emanino vere e proprie leggi ».

[21] Cappello, *Summa Iuris Canonici*, I, Romae, 1928, p. 330.

[22] Badii, *Institutiones Iuris Canonici*, I, Florentiae, 1921, p. 170. Idem fere Sipos, *Enchiridion Iuris Canonici*, Pecs, 1940, p. 209; Chelodi-Ciprotti, *Ius Canonicum de Personis*, Vicentiae, 1942, p. 262; Del Re, *La Curia Romana*, Roma, 1941, p. 41; clarius Ciprotti voce *Congregazioni Romane* (*Dizionario di Teologia Morale*, Roma, 1954): « ... le controversie sulla validità o nullità dei matrimoni possono essere decise solo se sono di pronta e facile soluzione, mentre negli altri casi spettano esclusivamente ai tribunali ecclesiastici ».

tionem facit, dum e contra circa hanc materiam expresse, praeter illas S. R. Rotae, provisiones S. Congregationis S. Officii memorat [23].

Revera, competentia S. Congregationis de Sacramentis in re matrimoniali generalis est et universalis, etsi non undequaque absoluta. Ita Exc.mus Bartoccetti: « Sacra Congregatio de Sacramentis ... evidenter nativam habet competentiam ad solvendas *quaslibet* quaestiones quae ad matrimonium spectant ... Verum S. haec Congregatio non cognoscit iudicialiter nempe cum contradictorio causas matrimoniales, proinde, si quae ei deferantur, remittet iudicialiter solvendas competenti tribunali. Quod si res « accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigat » poterit etiam ex se solvere (c. 249 § 3). In hac re ipsa est habilis ad suam competentiam determinandam et ad eiusdem limites praefiniendos, cum eius competentia sit ex se generalis et *specifica* quoad matrimonii disciplinam ... De facto tamen raro S. Congregatio nullitates matr. pronunciavit, quia evidentes erant. Hoc evenit praesertim ad supplendos casus in can. 1990 non contemplatos, qui tamen omnimoda fruantur certitudine » [24]. Et exempla praebet, ut declaratio nullitatis ex carentia aetatis a c. 1067 requisitae, ex substitutione personae procuratoris in celebratione matrimonii per procurationem, ex carentia evidenti vel certa revocatione mandati procuratorii ad nubendum, etc. Et concludit: « Hisce tamen in casibus S. Congregatio suam decisionem refert S. Pontifici pro approbatione » [25]. Clarum est hoc intelligi non posse de validitate decisionis; sed unice se tenere ad praxim et stylum S. Congregationis.

Etsi igitur admittatur non posse, ex deficientia organorum aptorum, S. Congregationem in ordine iudiciario procedere, etsi etiam concedatur ipsam non posse causam determinatam in ordinariis contingentiis ad se, suoque iudicio avocare [26], absolute loquendo, quaedam potestas iudiciaria non tantum in re administrativa sed proprie in re iurisdictionali S. Congregationi negari nequit,

---

[23] Cfr. Litt. Circ. 3 aug. 1929 circa exsecutionem Sententiarum nullitatis matrimonii quae ad normam art. 34 Conc. Later. ecclesiastice emanabuntur. At argumentum ex silentio in hac materia evidenter exaggerandum non est. Fortasse Signatura Apostolica huius rei mentionem facere omisit ob paucitatem causarum huiusmodi, quae iudicio S. Congregationis submittuntur, praesertim quod Supremum Tribunal de causis agit quae intra limites territoriales Status Italici agentur.

[24] Bartoccetti, *Processus Matrimonialis*, ad art. 2 § 4 Instruct. 15 aug. 1936, pp. 29o-30e (ex vol. II *Commentarii in Iudicia Eccl.*, Romae, 1950).

[25] Ibid., l. c.

[26] PCC., 8 iul. 1940, ad I.

cui reservatur, in casibus ad se delatis et nullam accuratiorem disquisitionem aut investigationem requirentibus, decisio definitiva. Quare, si ipsa iure merito iudicaret quaestionem aliquam de sua esse competentia, etsi accuratiorem disquisitionem aut investigationem requirat, et decisionem daret, « sententia ipsa neutiquam nulla videtur ob incompetentiam, sed ad summum illicita: sed agitur de hypothesi irreali etiam praescindendo ab approbatione Summi Pontificis quae expeti semper solet » [27].

7. - At quaenam, in praxi, sint causae, quae merito ad S. Congregationis Sacramentorum iudicium deferri possunt?

In genere, omnes concedunt casus exceptos, peculiari difficultate expertes, ab hac S. Congregatione cognosci posse [28].

Casus excepti recensentur in c. 1990. Porro, processus, de quibus in cc. 1990-1992, sunt ordinis iudiciarii [29]. Inde auctoritas competens, nempe Ordinarius loci, in iis decidendis debet procedere tamquam iudex, secundum technicam iudicialem: partes citantur, intervenit Vinculi Defensor, datur sententia declarativa, quae impugnari potest, ad iudicem secundae instantiae per appellationem provocando. At huiusmodi casus taxative in c. 1990 recensetur [30]. Quare plures alii dantur casus, in quibus, ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, aut ex aliis indubiis et legitimis probationibus, constare potest de existentia obstaculi, simulque pari certitudine apparere potest dispensationem super eo datam non fuisse. Nec exsistentia documenti certi et authentici absolute necessaria est, cum ad comparandam certitudinem quae nulli contradictioni vel exceptioni obnoxia sit, quodlibet aliud legitimum medium probationis sufficiat [31], veluti probatio per testes, per iusiurandum adsertorium, etc. « Haec enim *par certitudo* se refert ad gradum certitudinis, non ad medium eam assequendi ... Nam exsistentia impedimenti est factum positivum, quod ex documento constare *solet;* at inexsistentia dispensationis est quid negativum, quod non solet documentis consignari » [32].

---

[27] Bartoccetti, op. et l. cit.

[28] Exc.mus Coussa, *De Personis*, Vaticani, 1948, p. 85. Immo dicerem etiam facta notoria in re matrimoniali, quae scil. non indiget probatione (c. 1747, 1°), huius S. Congregationis iudicio submitti posse.

[29] PCC, 6 dec. 1943, ad II.

[30] Ibid., ad I.

[31] PCC., 16 iun. 1931, ad I.

[32] Regatillo, *Interpretatio et Iurisprudentia Codicis Iuris canonici*, Santan-

Quodsi huiusmodi casus, sive in c. 1990 recensiti sive non recensiti, ad S. Congregationem quacumque de causa deferantur, ipsa competens est ad eos solvendos nullo apparatu iudiciali servato sed ad disciplinae tramitem et iuxta praxim in ea vigentem. Quae quidem substantialia iudicii retinet sed forma technica iudicii terminisque processualibus non tenetur. Talibus enim in casibus S. Congregatio procederet tamquam auctoritas competens, non tamquam iudex competens. Evidenter decisio S. Congregationis non admitteret provocationem ad iudicem superiorem; cum enim ab ordine administrativo seu disciplinari non detur appellatio, ad summum recursus ad Romanum Pontificem fieri posset ad novum examen quaestionis impetrandum.

A fortiori, in casibus de matrimoniis etiam ob defectum formae nullis, quae scil. attentata fuerunt extra Ecclesiam: qui nullum iudicialem processum requirunt aut interventum Defensoris Vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario vel a parocho, consulto Ordinario [33]; si ad S. Congregationem deferantur. In illis enim casibus de statu libertatis canonicae apprime constare debet, et si civilis quoque libertas in discrimen versetur, partes iurare debent ut quam primum haec coram civilibus magistratibus obtineatur [34]. Siquidem, si penitus forma neglecta fuerit, status liber tantummodo est probandus [35]; si autem habeatur defectus substantialis formae, v. gr. quia parochus extra territorium matrimonio adstetit, vel unus tantum fuit testis, habetur *species* matrimonii, ideoque iudicialiter est nullitas eiusdem ostendenda. At si nullitas est evidens? Si casus ad Sanctam Sedem deferatur, S. Congregatio posset eamdem declarare.

8. - Item in casu praesumptae mortis coniugis, Ordinarius prius canonicas inquisitiones complere debet ad normam Instructionis S. C. S. Officii 1868 *Matrimonii vinculo* [36]. Non sufficit enim sola coniugis absentia eiusdemque silentium ad mortem comprobandam etiamsi, edicto evocatus, coniunx ille nullum de se indicium dederit. Si authenticum documentum mortis sive ecclesiasticum sive civile haberi nequit, per testium depositiones supplendum erit; qui testes duo saltem esse debent, iurati, fidedigni et qui de

---

der, 1949, p. 551. Cfr. etiam Sartori, *Enchiridion Canonicum*, Romae, 1947, p. 334.

[33] Tales sunt casus de quibus in PCC., 16 oct. 1919.

[34] S. C. De Sacramentis, 20 dec. 1923.

[35] PCC., 16 oct. 1919.

[36] Collectanea S. C. de Prop. Fide, II, Romae, 1907, n. 1321.

facto proprio deponant quique defunctum cognoverint ac sint inter se concordes. Quodsi duo testes haberi nequeant, unus omni exceptione maior sufficit, dummodo eius testimonium aliis gravibusque adminiculis fulciatur vel saltem nihil in eius testimonio reperiatur incongruum aut inverosimile. Testes de facto proprio suppleri possunt testibus de auditu. Si nihilominus deficit probatio per testes, mors adhuc probari potest ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis, ita ut inde moralis certitudo emergat.

Si, peractis enuntiatis inquisitionibus, iudicium (Ordinarius) sibi efformare non valeat, quo transitus ad alias nuptias permittere queat, tunc omnia acta ad S. Congregationem de Sacramentis mittat [37], quae proprie iudicium terminabit suo more, nempe decreto declaratorio [38].

Revera Codex nullam continet de legali mortis praesumptione aut de iudiciali mortis declaratione dispositionem. Et nulla vis decisionis recognoscitur iudicialibus mortis declarationibus ab auctoritate civili emissis, ne in casu quidem disperditorum in bello [39].

Quodsi, praetermisso Ordinario loci, res primitus S. Congregationi de Sacramentis deferatur, haec potest etiam ipsa decretum definitivum emittere.

9. - Maximi momenti sunt casus de nullitate matrimonii ante praescriptam aetatem contracti, qui ad iudicium S. Congregationis de Sacramentis non raro deferuntur.

Ante Codicis promulgationem impedimentum aetatis ad matrimonium requisitae exceptione corrigebatur: « nisi probaretur, quod tempore matrimonii malitia minoris aetatis defectum suppleverit » [40]. Exceptionis ratio in eo erat quod ius civile ad pubertatem definiendam annos respiciebat, dum ius canonicum ad factum ipsum attendebat potentiae coeundi et iudicii discretionis [41]. Sed, si in aliquo casu particulari, quis ad perfectionem seu maturationem, ut it dicam, debitam pervenisset ita ut naturae et rationis vigor aetatis supplevisset defectum, matrimonium valide

---

[37] S. C. de Sacramentis, 18 nov. 1920.

[38] Regatillo, o. c., 353-354 huiusmodi declarationis exemplum affert ex AAS. 14 (1922), p. 96. Cfr. Bartoccetti, voce *S. C. della Disciplina dei Sacramenti* (Enciclopedia Cattolica).

[39] Falco, *Introduzione allo studio del Codex Iuris Canonici*, Torino, 1925, p. 131.

[40] Pallottini, voce *Matrimonium*, VI, 3.

[41] S. C. Concilii, *in Angren.*, 6 febr. 1847 (Pallottini, op. et l. cit., 9).

contrahere poterat [42]. Malitia enim perversitatem sonat, cum quis data opera male agit; haec aetatem supplere dicitur quatenus versuta et fallax nocendi ratio, cui simplicitas opponitur. Et in casu dicitur de eo qui ante aetatem lege determinatam iam plura de rebus sexualibus noverit. Lex enim, aetatem puberalem determinans, necessario ad ea potius aptatur quae et frequenter et facile quam quae perraro eveniunt [43], cum ex his, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituantur [44]; ex factis namque pluries repetitis ius oritur.

At pluries S. C. Concilii revera matrimonia ante praescriptam aetatem, saltem ex parte unius coniugum, contracta resolvit, nisi illa exceptio plene et abunde in casu particulari probata extitisset. Matrimonium enim ante aetatem contractum invalidum considerabatur nec convalescebat aetate quoque superveniente et mutuo coniugum accedente consensu sive perseverante sive privatim renovato; sed iterum matrimonium contrahi debuisset, praesertim si publice innotuisset aetatis impedimenti exsistentia, quamvis matrimonium iam coniuges consummavissent [45]. Et specialis procedendi modus non ad adquirendam moralem certitudinem de aetate, quae ex documentis ultro et facile constare poterat, sed ad dignoscendam et dimetiendam malitiam, quae aetatis defectum suppleret, dirigebatur. Cum igitur apprime constaret de defectu specialis malitiae, tunc, nulla iudicialj instructoria confecta, S. Congregatio Concilii declarativam decisionem emittere poterat.

Revera, iuxta c. 1067 § 1, « vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt ». Non agitur hic de mero impedimento conditionali fundato in praesumptione iuris, sicuti antea, sed de impedimento vero et proprio, positivo et absoluto, in ipso facto consistente non adimpletae aetatis a Codice positive nunc determinatae [46]. Quod impedimentum cessat quidem statutae aetatis adeptione, sed matrimonium ante praescriptam aetatem invalide contractum non convalescit etiamsi consensus perseveret, ita ut adepta aetate novus consensus debita forma emissus requiratur [47]. Natura nempe impedimenti in Codice mu-

---

[42] S. C. Concilii, *in Neapolitana*, 1 oct. 1720 (Pallottini, op. et l. cit., 10).
[43] Celsus: 5. D. 1, 3.
[44] Celsus: 4. D. 1, 3.
[45] S. C. Concilii, *in Vilnen.*, 9 febr. 1732 (Pallottini, op. et l. cit., 13-14).
[46] Conte a Coronata, *De Sacramentis*, III, Romae, 1946, p. 362.
[47] Cappello, *De Sacramentis*, III, Romae, p 411.

tata est, sed antiquum ius adhuc perseverat quoad convalescentiam actus adepta aetate et perseverante consensu.

Cum art. 226-231 Instructionis 15 aug. 1936 tantum casus exceptos concernant, cumque elenchus casuum exceptorum c. 1990 taxativus sit, procedura casus excepti quoad impedimentum aetatis adhiberi non potest. Ad evitandum igitur in casu formalem longumque processum, si tamen nullitas evidens sit, succurrit competentia S. Congregationis de Sacramentis, quae, obtenta morali certitudine et de exsistentia impedimenti et de carentia dispensationis et de non convalidatione post adeptam canonicam aetatem, decisionem declarativam nullitatis emittere potest. Quodsi dubium aliquod exoriatur circa genuinitatem aut authenticitatem documenti aut circa obtentam, etsi regestis non consignatam, dispensationem, tunc ipsa S. Congregatio iudicat utrum formalis instructio ad repellenda dubia requiratur an sufficiat accurata investigatio non formalis. Formalis autem instructio fieri debet per organa tribunalis competentis, quod acta eiusdem S. Congregationi transmittat. Investigatio vero non formalis fit ab Ordinario vel a parocho. Decisio tamen semper ad S. Congregationem reservatur.

10. - Has itaque breves concludentes notas, dicimus generalem competentiam S. Congregationis de disciplina Sacramentorum circa matrimonium esse non solum administrativam et disciplinarem, sed etiam, quamvis limitate, iudicialem seu proprie iurisdictionalem, non solum quatenus ipsa super tribunalibus disciplinariter vigilat, sed etiam quatenus ipsa potest, quandoque et in datis circumstantiis, matrimoniorum nullitates iuxta praxim stylumque sibi proprium, declarare.

Itaque, in genere, quotiescumque causa ita clara videtur ut merito eidem applicari possit c. 1747, 1°, si ad S. Congregationem deferatur, potest haec matrimonii nullitatem iure declarare. Facta enim *notoria* non indigent probatione, cum omnibus constare possunt et colore nullo offuscantur, sive in specie *manifesti* quod allegari probarique oportet, sive in specie *liquidi* quod iudici ex actis liquet et sine morosa difficultate probatur, sive in specie *clari* quod generaliter omnia comprehendit Notorium, insuper, potest esse praesumptionis, iuris et facti: praesumptionis quidem, quod est de evidentia iuris vehementer praesumptum, ut paternitas, filiatio: quae numquam possunt vere probari sed vehementer ex circumstantiis praesumuntur; iuris autem, sive per confessionem iudicialem sive per probationem iudicialem; facti vero, quod commissum vel factum nullo populi dubio obnoxium

sit et per evidentiam rei nulla potest tergiversatione celari. Porro, de notorio semper potest S. Congregatio decidere.

Quoties igitur huiusmodi casus, sive per Ordinarium sive directe, ad S. Congregationem deferantur, haec valet de iis iudicium proferre ex sua quidem competentia sed iuxta suam praxim, nulla etiam iudiciali forma servata, nisi quae et quatenus in suo stylo contenta haec sit.

Si tamen extra suam praxim in casu aliquo particulari per absurdum ageret, iudicium ab ea prolatum validum habendum erit, etsi posset quandoque illicitum retineri.

Quod, denique, Sacra ipsa Congregatio soleat casus a se decisos Romano Pontifici pro adprobatione submittere, non incidit in generalem eiusdem competentiam.

Augustinus Pugliese
Ad. a St. S. Congregationis de Religiosis
Commissarius S. C. de Sacramentis

SENSUS « CELEBRATIONIS CORAM ECCLESIA » IN MATRIMONIO PUTATIVO CANONICO

1. Canon 1015 determinat conditiones matrimonii putativi canonici: « Matrimonium invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit donec utraque pars de ejusdem nullitate certa evadat » (c. 1015 § 1).

Duo igitur elementa distingui possunt. Primum negativum: matrimonii nullitas objectiva. Alterum positivum: matrimonii valor subjectivus, qui fundatur: a) in bona fide; b) in celebratione coram Ecclesia. Unde ad matrimonium putativum canonicum requiruntur: I. Nullitas objectiva matrimonii; II. Bona fides unius saltem partis; III. Celebratio matrimonii coram Ecclesia.[1]

2. Praemittimus haec tria elementa simul coexistere debere, ita ut, uno deficiente, totum corruat matrimonium putativum. De primo et altero elemento pauca omnino et summatim dicemus; de tertio, vero, fusiori disputabimus sermone.

I. NULLITAS OBIECTIVA MATRIMONII

3. Hoc primum elementum est veluti praesuppositum matrimonii putativi. Nullitas vero ex quocumque capite oriri potest: a) ex existentia *impedimenti* dirimentis, juris naturalis vel positivi, occulti vel publici, perpetui vel temporarii donec cesset; b) ex impedimenti invalida dispensatione; c) ex defectu *consensus*, sive

---

[1] Tria elementa numeramus, sed de numero, in casu, ferme nihil est curandum. Alii loquuntur de duobus, alii de uno tantum. Nullitas matrimonii generatim non computabatur ante Codicem inter elementa, quia potius considerabatur tanquam praesuppositum seu hypothesis matrimonii putativi, vel melius matrimonium putativum erat, sicut et nunc, species matrimonii invalidi. Ideo opinio communis canonistarum requirebat duo tantum elementa: bonam fidem et solemnitatem actus. Nonnulli addebant aliud tertium, scilicet opinionem justam seu non imputabilitatem erroris qui bonae fidei causam dederat. Juris tamen civilis cultores saepe saepius unum requirebant elementum: bonam fidem, etsi pauci omnino tria etiam exigebant: bonam fidem, solemnitatem actus et opinionem justam. Vid. hujus quaestionis expositionem apud M. Massimi, *Del matrimonio nullo contratto in buona fede*, Roma 1899, p. 46-47, qui tamen sustinet et probat: « Il diritto canonico limitò a due il numero delle condizioni, vale a dire alla buona fede ad alla solemnità dell'atto. Altri vi aggiunsero come terzo elemento distinto, la scusabilità dell'errore ». Ib. p. 46.

vitium sit intellectus sive voluntatis [2]; d) ex defectu *formae* substantialis canonicae, sive ex defectu testis qualificati aut ejusdem competentiae vel delegationis, sive ex defectu testium, sive ex omissione totali formae ordinariae vel extraordinariae, dummodo haec omissio componi possit cum aliis matrimonii putativi elementis, juxta infra dicenda [3]; e) ex defectu convalidationis validae.

II. BONA FIDES

4. Legitimitas prolis ex matrimonio putativo susceptae constituit veluti praemium legis propter bonam fidem, saltem unius partis, contrahentium. Est, igitur, bona fides subjectiva persuasio de valore matrimonii. Non excludit *errorem, ignorantiam* vel *dubium* sive facti sive juris; immo generaliter fundatur in errore vel ignorantia, quae tamen non sit moraliter imputabilis sub peccato. Excludit e contra *ignorantiam affectatam* seu dolose intentam ad nullitatem ignorandam. Haec affectata ignorantia certe componi non potest cum bona fide [4].

---

[2] In matrimoniis acatholicorum non est praesumendus a priori defectus consensus et nullitas matrimonii ex eo quod opinio communis in eorum regionibus putet matrimonium esse solubile; sed hic defectus in singulis casibus probandus est (c. 1084). Cfr F. Hürth, *Defectus consensus in matrimoniis acatholicorum*, in *Periodica de re morali canonica liturgica* 37 (1948) 209-226, praesertim vero pag. 222 n. 17; L. Buijs, *De matrimoniis acatholicorum baptizatorum*, in *Periodica* 37 (1948) 227-241; H. Armbruster, *Der Ehewille evangelischer Christen im Lichte des kanonischen Prinzips der Unauflöslichkeit der Ehe*, München 1959, qui propugnat non esse procedendum seu judicandum per meras praesumptiones, sed singulum casum juxta mores et opinionem communem singularum ecclesiarum Protestantium esse considerandum.

[3] Cfr. infra num. 38 ss.

[4] Haec omnia, etsi nimis simpliciter dicta, plures involvunt quaestiones et disputationes inter auctores. Nobis non est specificam disquisitionem instituere. Momentum bonae fidei in matrimonio putativo ponderat cl. P. Fedele, *L'essenza della buona fede nella dottrina canonistica del matrimonio putativo*, in *Rivista di diritto civile* 31 (1919) 313 ss.; Idem, *A proposito di una recente innovazione in tema di matrimonio putativo*, in *Ephemerides Iuris Canonici* 6 (1950) 214 ss.

Compatibilis est cum bona fide: a) *Error facti;* difficilius admittitur *error juris* propter regulam « Ignorantia facti, non juris, excusat (VI. 5. 12, *De regulis juris*, 13) ». Error juris, secundum quosdam auctores, excusat tantum si probabilis sit seu *justus*, in ipsa lege fundatus; secundum alios, etiam si sit *injustus*. Evolutio doctrinae de compatibilitate bonae fidei cum errore optime exponitur a Galgano, *Casus rariores*: I, *Violenza nel consenso e matrimonio putativo*, in *Rivista di diritto civile* 13 (1921) 209 ss. et a P. Fedele,

5. Non requiritur bona fides *in utroque conjuge;* sufficit in uno tantum. Bona fides unius partis coexistere potest cum mala fide alterius partis, immo cum dolo, adhibito ad hoc ut altera pars sit in bona fide, et, matrimonii nullitate non obstante, proles sit legitima. In matrimoniis mixtis sufficit bona fides partis tantum acatholicae vel infidelis, parte catholica in mala, immo dolosa, fide manente.

Bona fides versare debet circa valorem matrimonii, etsi relate ad alias quaestiones matrimoniales utraque pars sit in mala fide.

6. De *tempore* seu momento in quo adesse debet bona fides, haec sufficiant. Cum utraque pars nullitatem matrimonii cognoscit, matrimonium putativum cessat (c. 1015 § 4). Dum tamen perseverat bona fides unius saltem partis, etsi infidelis vel acatholicae, matrimonium est putativum.

Disputatur inter auctores utrum matrimonium mala fide utriusque partis contractum possit converti in putativum ob supervenientem bonam fidem unius saltem partis. Mihi videtur responsum affirmativum non esse excludendum, dummodo conversio vera sit et non dolosa. Tunc enim omnia dantur elementa a can. 1015 requisita [5].

L'essenza della buona fede, loc. cit. p 316 ss.; hujus evolutionis summarium vide in A. H. Eysink, *Matrimonium clandestinum et matrimonium putativum,* Roma 1957, p. 27 ss. b) *Dubium.* Aliqui indistincte affirmant compatibilitatem bonae fidei cum dubio sive antecedente sive consequente. Alii vero distinguunt: dubium matrimonio *antecedens* excusat seu compatibile est cum bona fide, si, debita diligentia adhibita, dubium non deponitur. Dubium tamen *cosequens* semper excusat. Cfr. textus et auctores in Galgano, Fedele, Eysink, loc. cit. supra.

[5] Cl. P. Ciprotti, *De prole legitima vel illegitima in jure canonico vigenti,* in *Apollinaris* 12 (1939) 332, negative respondet propter verba « celebratum fuerit » canonis 1015 § 4, quae videntur requirere bonam fidem *in momento* celebrationis. Sed re vera, in casu bonae fidei supervenientis, celebratio *adhuc perseverat;* et effectus matrimonii putativi, objective invalidi, non producuntur propter malam fidem; sed, sublato obstaculo propter bonam fidem supervenientem, non videtur quam ob causam matrimonium non sit putativum et hujus effectus proprios non producat relate ad prolem. Argumentum sumimus ab instituto convalidationis simplicis can. 1136 § 2: perseverat celebratio, perseverat consensus unius partis; si altera pars quae non consenserat, interius consentiat, matrimonium, antea nullum, fit validum. Idem dicendum videtur de matrimonio simpliciter nullo quod transit in putativum propter bonam fidem supervenientem. Hujusmodi casus rari sunt et ad probandum difficiles, sed dari possunt, etiam extra casum convalidationis. Cfr. Cappello, *De matrimonio,* ed. 6 n. 746, 3, p. 729.

III. CELEBRATIO CORAM ECCLESIA

7. Dum ea quae diximus de nullitate et bona fide, fere omnia erant pacifica, auctores dividebantur agentes de hoc tertio elemento. Verba enim can. 1015 § 4 « celebratum fuerit » valde indeterminata erant, quin formam seu modum celebrationis pressius indicarent. Unde tres aderant opiniones.

Prima opinio sustinebat *quamcumque formam* celebrationis esse sufficientem ad matrimonium putativum, quin opus esset formae canonicae. Quidam hanc opinionem profitebantur quia Codex, dicens indeterminate « celebratum fuerit », jus proxime prae-codiciale, quod formam tridentinam requirebat, inmutaverat. Alii vero eandem opinionem propugnabant, opposita tamen ratione, quia nempe jus proxime prae-codiciale nullam requirebat formam ad matrimonium putativum.

Secunda opinio exigebat celebrationem in forma canonica seu saltem figuram matrimonii canonici; sed *non absolute*, quia exceptionem admittebat cum agebatur de matrimonio mixto, sc. partis catholicae cum parte acatholica vel infideli, celebrato non forma canonica, sed ea servata forma quam mores eorum regionum, vel ipsae leges civiles, determinabant ut matrimonium reputeretur legitimum.

Tertia opinio affirmabat necessitatem *absolutam* celebrationis *in forma canonica* pro omnibus qui ad formam canonicam tenebantur, et respuebant exceptionem ab altera opinione admissam [6].

8. Auctoribus ita divisis, Pont. Commissio Interprex, d. 26 jan. 1949, D. « An sub verbo « celebratum » can. 1015 § 4 intelligi debeat dumtaxat matrimonium coram Ecclesia celebratum, R. *Affirmative* ». [7]

Ut ergo matrimonium sit putativum in jure canonico, omnino requiritur *celebratio coram Ecclesia.* Non inde infertur esse requisitum *essentiale*, ita ut absque eo matrimonium putativum absolute subsistere nequeat, nam ante Concilium Tridentinum certe non requirebatur, et etiam post Codicem dubitabatur de ejus necessitate. Hodie est elementum necessarium non ex rei natura sed ex sola dispositione juris positivi, ut patet ex allato can. 1015 § 4

---

[6] Auctores et rationes adductae pro his opinionibus consuli possunt apud scriptores, v. gr. Cappello, *De matrimonio* n. 476; M. C. a Coronata, *De matrimonio*, n. 30; Larraona, in *Monitor Ecclesiasticus* 1949 p. 143 ss.; A.Gutierrez, *De admissione in religionem filiorum illegitimorum*, in *CpR.* 28 (1949) 53 ss.; A. H. Eysink, *op. cit.*, p. 71 ss.; etc.

[7] *A.A.S.*, 41 (1949) 158; *Monitor Eccles.* l. c.; *CpR.* 28 (1949) 16.

et ex responso Commissionis Interpretis d. 26 jan. 1949, ut infra dicemus.

IV. SENSUS CELEBRATIONIS CORAM ECCLESIA

9. In contrahendo matrimonio distingui debet forma intrinseca a forma extrinseca.

Forma *intrinseca* consistit *in manifestatione consensus*. Est quidem intrinseca ipsi matrimonio, et sine illa matrimonium subsistere non potest in qualibet ordinatione juridica. Debet tamen esse aliquo modo externa; agitur enim de negotio juridico. Haec conditio sufficienter innuitur in verbo « manifestatione » consensus. Cujuslibet matrimonii forma intrinseca optime indicatur in can. 1081: « Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles... manifestatus ».

Forma vero *extrinseca* consistit *in legitima manifestatione* consensus, seu in manifestatione modo in lege determinato. Haec forma extrinseca absolute non requiritur pro valore matrimonii, nam ille modus manifestationis consensus determinatus a lege praescribi potest vel ad validitatem, vel ad solam liceitatem matrimonii; immo accidere potest ut nullus determinatus modus praescribatur, quo in casu sufficit forma intrinseca.

Accidere tamen potest ut forma extrinseca plures sollemnitates seu formalitates comprehendat, ex quibus aliquae requirantur ad valorem actus, aliae vero solum ad liceitatem. Omnes tamen, idest quae requiruntur ad valorem et quae requiruntur ad liceitatem, pertinent ad formam seu ad celebrationem matrimonii et, diverso quidem sensu, vocari possunt celebratio matrimonii.

10. Celebratio coram Ecclesia afficit tantum formam extrinsecam, seu designat modum celebrandi matrimonii in lege Ecclesiae determinatum. Sed cum agitur de matrimonii putativi elementis notare juvat sermonem esse de *celebratione coram Ecclesia*, non *de forma* substantiali matrimonii; unde quaerimus: quisnam est sensus hujus formulae « celebratio coram Ecclesia » in casu.

A. Sensus in ipsa formula contentus

11. Formula « celebratio coram Ecclesia » vel alia aequivalens [8], designat actum juridicum qualificatum ab hisce tribus verbis quibus formula constat.

---

[8] In Decretalibus invenimus has formulas ad idem significandum: a) Celebratio « *publice sine contradictione Ecclesiae* ». Ita v. gr. in X 4. 17. 2:

« *Celebratio* » indicat quandam *sollemnitatem actus*, quibusdam ritibus, formalitatibus externis positum; excludit ergo actum mere internum.

« *Coram* » indicat *publicitatem actus*, i. e. actum positum esse palam, in conspectu aliquorum, adstante et sciente aliqua persona vel aliquibus personis praeter eas quae ponunt actum; excludit ergo actum secretum, occultum.

« *Ecclesia* » indicat *subjectum cujus est actum scire* et cognoscere, in cujus praesentia actus sollemniter ponitur, seu cujus interventus requiritur; excludit ergo actum mere naturalem, civilem, non ecclesiasticum.

12. Hic actus *sollemnis, publicus, ecclesiasticus*, expressus formula « celebrationis coram Ecclesia », plures habuit sensus historicos quos oportet breviter enumerare et distinguere.

Sensus *materialis*: Celebratio matrimonii coram Ecclesia materialiter sumpta, idest ante valvas seu portas ecclesiae. Hic modus vocari potest celebratio germanica [9].

Sensus *socialis*: Celebratio matrimonii coram amicis, vel in plateis coram multitudine populi adstantis. Hic modus vocari potest celebratio italica [10].

« quum parentes eorum publice et sine contradictione ecclesiae (matrimonium) inter se contraxisse noscantur ». b) Celebratio « *in facie ecclesiae* ». Ita v. gr. in X. 4. 16. 2: « nihilque defuit, nisi solemnitas in facie ecclesiae celebranda » (in parte suppressa); X. 4. 16. 2: « Sed ipse... in facie ecclesiae sibi solemniter copulavit uxorem »; X. 4. 17. 14: « cum ipso in ecclesiae facie contraxisset » (in parte suppressa); X. 4. 17. 14: « matrem ipsius in facie ecclesiae, ignaram penitus ». c) Celebratio « *in conspectu ecclesiae* ». Ita v. gr. in X. 4. 3. 2: « tanquam a principio in ecclesiae conspectu contracta »; X. 4. 3. 3: « etiam in conspectu ecclesiae contrahere praesumpserunt » etc.

[9] Nam apud germanas gentes in usu erat, teste Wernz: « Quoniam complures sollemnitates germanorum minus convenienter in ipsa ecclesia paroeciali fieri potuerunt..., germani pro suo more negotia publica in publicis campis transigendi, etiam nuptias celebrarunt publice ante portas ecclesiae, i. e. litteraliter « in conspectu sive facie ecclesiae », in quam postea ingressi sunt, ut assisterent sacrificio Missae et reciperent sacram communionem. Quae disciplina celebrandi nuptias ante portas ecclesiae in Gallia et Anglia usque ad saeculum decimum sextum fuit in vigore ». Wernz, *Jus decretalium*, Tom. IV *Jus matrimoniale Ecclesiae catholicae* n. 156; etiam in Wernz-Vidal, *De matrimonio*, n. 529, ed. 3 p. 668. Idem refert *Panormitanus*: « Sponsus et sponsa ante consummationem matrimonii benedicentur ante valvam, id est fores ecclesiae... »; Abbas Panormitanus, *In quatuor libros Decretalium commentaria*, in X. 4. 1. 28.

[10] Quia ea italici plerumque utebantur. Scribit Joannes Andreae, *In quatuor decretalium libros novella commentaria*, in X. 4. 17. 14 ad v. *in facie Ecclesiae*: « Sed qualiter intelligitur matrimonium contrahi in facie ecclesiae.

Sensus *religiosus*: Celebratio matrimonii adhibitis ritibus et adsistente sacerdote inter Missarum sollemnia vel alia hujusmodi sacra. Hic modus vocari potest celebratio liturgica [11].

Sensus *juridicus*: Celebratio matrimonii adhibitis requisitis in lege determinatis. Hic modus vocari potest celebratio canonica [12].

13. Animadvertere juvat partem, ut ita dicam, variabilem in relatis sensibus esse verbum « Ecclesia », duobus aliis in sua propria significatione manentibus. Etenim, in primo sensu Ecclesia est aedes materialis; in altero, multitudo fidelium; in tertio, religio; in quarto, societas perfecta.

« Ecclesia » etiam determinat sensum *concretum* cum « celebrationis », tum « coram ».

Cum vero in casu agamus de re juridica, scilicet de matrimonii putativi elemento juridico, praetermittere possumus sensum materialem et socialem et liturgicum, et considerare tantum sensum juridicum, nisi lex unum vel alterum ex praedictis sensibus assumat in categoriam juris, eique tribuat, agnoscat vel tolleret valorem juridicum, quo in casu etiam considerandus esset.

14. Formula igitur « celebratio coram ecclesia », ejusque singula verba sensum exprimit, in casu nostro, tantum juridicum, ita ut sollemnitas sit juridica, et publicitas sit juridica et Ecclesia sit juridica. Proinde significat: *actum sollemnen publicum canonicum*, et opponitur matrimonio sic dicto clandestino, idest vel omnino non celebrato, vel celebrato clam [13], vel celebrato publice et palam, sed nesciente ecclesia qua societate perfecta, etsi adstet multitudo testium et ipsa societas civilis [14].

Dicunt quidam ex quo fit publice coadunatis amicis et nemine excluso, et sic utuntur Lombardi sive Italici ». Idem testatur Paleotus, *De notis spuriisque filiis*, n. 7-8, ed. 1574 p. 31: « Nec hodie amplius publica illa denuntiatio propositis edictis videtur necessaria, cum satis sit convocatis amicis haec solemnia peragere, qui mos ubique fere, sed maxime in Italia adhuc viget ». Cfr. infra n. 20 ss.

[11] Nihil interest forma liturgica seu ritus quo matrimonium celebretur, dummodo approbatus sit ab Ecclesia. Juxta pompam liturgicam uniuscujusque ritus, celebratio dicitur sollemnior, solemnis vel minus sollemnis, sed distinctio ad substantiam celebrationis non pertinet.

[12] Ad normam *omnium* canonum Ecclesiae, non illorum tantum qui formam stricto sensu sumptam determinant.

[13] « Clam » dicimus, sensu tamen juridico, nam, ut notat Bartolus, *Commentaria in II Dig. vet. partem, Leg. ultima ff. de ritu nuptiarum* (D. 23. 2. 68 ad v. *jure gentium*): « Qualiter autem dicatur fieri clam, dic quando id, quod debet fieri cum solemnitate, omittitur » (Ed. Venetiis 1596, fol. 146 v.).

[14] « Nemo est qui ambigat, animadvertebat Hieronimus González, quod si hodie contraheretur matrimonium in praesentia mille testium, etiam per-

Breviter: matrimonium contractum cum interventu ecclesiae dicitur celebratum coram Ecclesia; e contra, matrimonium contractum nesciente Ecclesia, dicitur clandestinum seu non celebratum coram Ecclesia.

Nunc determinare debemus in quo consistat hic interventus Ecclesiae, seu quisnam Ecclesiae interventus sufficiat ad hoc ut matrimonium dicatur celebratum coram Ecclesia seu non clandestinum et, caeteris stantibus conditionibus, dici possit putativum.

Cum hic interventus non semper idem fuerit decursu temporis, opus est discurrere per singula evolutionis praecipua momenta.

B. Sensus ante Concilium Tridentinum

15. Primordia describere matrimonii putativi praetermittimus, cum ad rem nostram nihil vel parum pertineant [15].

Primus Ecclesiae interventus legislativus relate ad conditionem juridicam matrimonii putativi celebrati vel minus coram Ecclesia factus fuit in Concilio IV Lateranensi an. 1215 in canone seu in constitutione quae incipit « *Cum inhibitio* » [16] ab Innocentio III promulgata.

Disciplina Innocentiana, prout in citata constitutione proponitur, ita in summarium reduci potest [17].

16. Innocentius III: a) *Inhibet* matrimonia *clandestina*, scilicet quae contrahuntur clam, occulte, Ecclesia nihil sciente vel opinante, quae nullo modo Ecclesiae constant.

b) *Declarat clandestinum* matrimonium contractum *omissis publicationibus* seu bannis.

---

sonarum egregiarum: si tamen deficiat praesentia parochi aut Ordinarii licentia, quod matrimonium clandestinum, ac nullum judicetur ». Hieronimus González, *Dilucidum ac perutile glossema, seu Commentatio ad regulam octavam Cancellariae*, Gloss. 48 n. 30 (ed. Romae 1615 p. 577).

[15] Circa originem cfr. excursum historicum et fontes in S. Galgano, *Casus rariores, I. Violenza nel consenso e matrimonio putativo*, in *Rivista di diritto civile* 13 (1921) 439 ss; P. Fedele, *L'essenza della buona fede nella dottrina canonistica del matrimonio putativo*, in *Rivista di diritto civile* 31 (1939) 313 ss.; A. H. Eysink, *Matrimonium clandestinum et matrimonium putativum*, Roma 1957, p. 4 ss; etc.

[16] Canon 51 Concilii Lateranensis IV qui transit in Compilationem Antiquam IV (Comp. IV, 4. 2. 1) et receptus fuit in Compilatione Decretalium Gregorii IX (X. 4. 3. 3).

[17] Qui ampliorem expositionem et textus fontium voluerit, recurrat ad auctores supra in nota ([15]) citatos vel directe ad fontes in praecedenti nota signatos.

c) *Negat* matrimoniis clandestinis beneficium legitimitatis prolis.

d) Matrimonia clandestina, etsi graviter prohibita, sunt tamen valida.

17. Ideo, juxta disciplinam innocentianam, ad matrimonium putativum requiritur: a) *Nullitas matrimonii* ob impedimentum (forma extrinseca determinata non requiritur ad validitatem).

b) *Bona fides*, cui opponitur affectata ignorantia.

c) *Publicationes* seu banna matrimonialia. Horum omissio: 1) praesumit ignorantiam affectatam seu malam fidem; 2) purgari potest per probationem exclusionis doli in omissione bannorum [18].

Conclusio sit: in disciplina innocentiana « celebratio coram Ecclesia », relate ad legitimitatem prolis susceptae ex matrimonio putativo, significat *contrahere matrimonium praemissis publicationibus*, seu bannis matrimonialibus, modo ab ecclesia statuto. Unde, ut matrimonium dicatur celebratum coram ecclesia, necessaria est et sufficit observantia bannorum. Alias, matrimonium non est putativum, nisi probetur absentia doli in omissione publicationum [19].

18. Necessitas bannorum sub poena clandestinitatis a Concilio admissa et ab Innocentio III firmata, non absque difficultate recepta fuit. Consuetudines et mores aliquorum populorum et locorum contrariae erant, et nimis durum visum fuit nonnullis canonistis illa matrimonia, juxta mores populorum et majorum publice contracta, omissis quidem publicationibus quae in usu

---

[18] Sola omissio bannorum, etsi bona fide facta, non sufficit ad matrimonium putativum, quia matrimonium validum est. Distinctio haec notanda est relate ad disciplinam post-tridentinam in qua omissio formae secum fert invaliditatem matrimonii.

[19] Sánchez, retractans hanc ipsam quaestionem post Concilium Tridentinum, argumenta opinionis contrariae impugnat: « Duplex est sententia. Prima ait non esse clandestinum. Probatur: 1. quia quod fit scientibus vicinis dicitur publice fieri...; 2. quia licet varietur juris solemnitas, si substantia est eadem, non variatur juris dispositio... Secunda sententia, quam magis approbo, docet esse clandestinum quoad poenas. Probatur: 1. quia attento..., dicitur clandestinum id matrimonium cui denuntiationes non praemittuntur...; 2. ex doctrina Bartoli..., ubi docet id fieri clam, quod omissis jure requisitis in actu efficitur; cum ergo in matrimonii jure petantur denuntiationes, dicetur iis omissis, clandestinum... Ad argumenta proposita respondetur: Ad 1. fateor publice fieri, sed non ea publicitate quam jus postulat... Ad 3. dico ea verba textus « publice contraxisse » intelligi, id est praemissis denuntiationibus, ut notat ibi glossa... ». Sánchez, *De sancto Matrimonii sacramento*, Lib. 3, disp. 1, n. 9-12.

apud illas gentes non erant, declarare clandestina et poenis clandestinitatis subjecta. Ideo haec matrimonia a nota clandestinitatis liberare tentarunt. Haec tentamina et exitum ostendere, superfluum non reputamus.

19. Canonistae, qui canones Concilii IV Lateranensis commentarunt, mentem Concilii fideliter retinuerunt [20]. Eandem disciplinam tenuit Innocentius IV: « Ubi non fit publicatio secundum tenorem hujus decretalis (Cum inhibitio), non fit in facie ecclesiae; ergo nec filii sunt legitimi » [21]. Sed ipse Innocentius IV existentiam opinionis contrariae jam notabat: « Ad hoc ut fiat in facie Ecclesiae necesse est servare sollemnitatem (publicationum). Alii dicunt in facie Ecclesiae fieri si vocatis amicis publice, nullius procurata celatione, contraxit » [22].

20. Hic sensus socialis celebrationis coram Ecclesia, communis ante Concilium IV Lateranense, retentus fuit in multis regio-

---

[20] Ita v. gr. *Vincentius Hispanus* in *Apparatu glossarum* ad canones Concilii IV Lateranensis, in commentario canonis 51 ad v. *de tali conjunctione*, scribit: « Idest, copula consanguineorum clandestina vel interdicta, ut ex quo sunt consanguinei et contrahunt sive clam sive palam, et si sunt interdicta, proles non fit legitima. Secus si palam contraheret, ignorans consanguinitatem sive interdictum ». Vincentius Hispanus, *Ms. Rouen n. 706* f. 264rb comparatum cum Ms. Banberg-Can. 20. Eandem glossam repetit ipse Vincentius Hispanus in suo *Apparatu ad Decretales Greg. IX*, in: X. 4. 3. ad v. *suscepta*. Ms. latinus n. 3967 f. 161rb Bibl. Nationalis Parisiorum. Joannes Teutonicus in suo *Apparatu glossarum ad canones ejusdem Concilii*, scripto tamen post illum Vincentii Hispani (cfr. J. Ochoa. *Vincentius Hispanus canonista boloñés del siglio XIII*, Roma-Madrid 1960, p. 133), ad v. *qui voluerit* canonis 51 haec habet: « Quid si, nulla denuntiatione preposita, in ecclesia matrimonium sollemniter contractum est, aliquibus scientibus impedimentum? Numquid talium matrimonium post mortem, vel etiam in vita ipsorum, possint accusari illi qui sciverunt impedimentum? Videtur quod non...; et ex quo publice factum est, non admittitur contradictio... » *Ms. Graz n. 138* f. 242rb. Eandem glossam habet ipse Joannes Teutonicus in suo *Apparatu ad Comp. IV. 4. 2. 1* (cfr. ed. Antonius Agustín, *Antiquae Compilationes. Collectio quarta Decretalium* (ed. Ilerdensis f. sine num.; in Antonii Augustini *opera omnia*, IV, Lucca 1769, p. 608 ss.

[21] Innocentius *IV, In quinque libros Decretalium apparatus seu commentaria*, lib. 4, tit. *De clandestina desponsatione*, c. *Cum inhibitio* (X. 4. 3. 3.) (ed. Lugduni 1578 f. 304ra).

[22] Innocentius IV, op. cit. lib. 4, tit. *Qui filii sint legitimi*, c. *Ex tenore* (X. 4. 17. 14) (ed. cit. f. 313vb.). Has duas opiniones notavit etiam Joannes Andreae: « Sed qualiter intelligitur matrimonium contrahi in facie ecclesiae. Dicunt quidam ex quo fit publice coadunatis amicis et nemine excluso... Immo secundum alios servata solemnitate bannorum... quod verius credo ». Joannes Andreae, *In IV Decretalium librum novella commentaria*, in Lib. 4, tit. 17, c. 14 ad v. *in facie Ecclesiae*.

nibus, ubi disciplina bannorum recepta non fuit vel in desuetudinem abiit. Populi tamen bona fide procedebant in omissione bannorum; quapropter canonistae, praesertim qui ex illis regionibus erant, matrimonia absque denuntiationibus ita contracta, legitima retinebant. Audiatur Petrus Ancharanus: « Italici, qui sollemnitate bannorum non utuntur, non habent illud beneficium de quo hic (legitimitatis prolis). Quantumcunque ambo vel alter conjugatorum habuerit bonam fidem, proles ex eis suscepta non erit legitima, si postea detegatur impedimentum; quod est durum sentire. Quia si non servant verborum corticem dictae constitutionis (Cum inhibitio), tamen servant mentem ... Ante enim quam contrahant, coadunatis amicis, hinc inde publicantur munera ... Ita in Senis et hic in Venetiis deinde fiunt festivitates nuptiarum pluribus diebus. Ista ergo dicere clandestina matrimonia non videtur tutum ... » [23].

21. Has consuetudines patrias apertius sustinuit Abbas Panormitanus, qui dissertans de sensu formulae « in facie Ecclesiae » haec habet: « Sumitur Ecclesia pro collectione fidelium ... Contrahens ergo coram multitudine secundum patriae consuetudinem, non dicitur clandestine contrahere, sed in facie Ecclesiae » [24]. Hujus doctrinae consequentia est obvia: « Dubito, scribit Panormitanus, utrum habeat locum poena hujus capituli (Cum inhibitio), si quis contraxerit in facie Ecclesiae (sensus liturgicus), non praemissis istis denuntiationibus; et potius crederem quod non » [25]. Sed ratio adducta ab ipso Panormitano non videtur cogens. Ait enim « quia poena est apposita contra contrahentes clandestine, et non contra contrahentes edictis non praemissis » [26].

Paleotus, evolvens rationem a Petro Ancharano enuntiatam, fundat potiori jure liceitatem horum matrimoniorum, *in consuetudine* juste efformata et vigenti: ideo necessitatem bannorum non admittit, « cum traditum sit, ea tantum clandestina matrimonia dici, quae praeter morem ritumque patrium contracta sunt ... Idcirco nec hodie amplius publica illa denuntiatio propositis edictis videtur necessaria, cum satis sit convocatis amicis haec sollemnia peragere, qui mos ubique fere, sed maxime in Italia, adhuc viget » [27].

---

[23] Petrus Ancharanus, *Super Quarto Decretalium facundissima commentaria*, Lib. 4, tit. 17, c. 14 (Ed. Bononiae 1580, p. 126 col. 1).

[24] Abbas Panormitanus, *In quartum Decretalium librum commentaria*, tit. 3, c. 3 (Ed Venetiis 1587, tom. 7, f. 28).

[25] Abbas Panormitanus, *op. et loc. cit.*

[26] Abbas Panormitanus, *op. et loc. cit.*

[27] Paleotus, *De notis spuriisque filiis*, ed. 1574, p. 31, n. 7-8.

22. Ecclesia hanc consuetudinem aliquarum regionum non observandi banna cognovit et implicite admissit; ideoque pro illis regionibus sufficiens erat celebratio socialis vel mere liturgica, quia in casu, ex approbatione Ecclesiae, erat etiam juridica [28].

23. Principium tamen generale et disciplina communis a Concilio IV Lateranensi usque ad Concilium Tridentinum fuit celebratio innocentiana. In hac periodo, celebratio coram Ecclesia idem est ac publicatio bannorum matrimonialium. Horum omissio, nisi probetur non dolosa, matrimonio tribuit notam clandestinitatis, et prolem susceptam, illegitimam constituit, etsi aliae sollemnitates in matrimonii celebratione adhibitae fuissent; sed recte notandum est, hoc fuisse propter conditionem poenalem constitutionis « Cum inhibitio ».

C. Sensus post Concilium Tridentinum

24. Disciplina Tridentina, per decretum Tametsi [29] sancita, ita resumi potest relate ad matrimonium:

a) *Introduxit* formam externam determinatam celebrandi matrimonium: coram proprio parocho et testibus = forma tridentina.

b) *Novam addidit* speciem matrimonii *clandestini*, scilicet illud non celebratum forma tridentina.

c) *Non abrogavit* celebrationem innocentianam, sed necessitatem bannorum et poenas contra illa dolose omittentes retinuit.

d) Sancivit necessitatem formae tridentinae ad *validitatem* matrimonii; publicationes vero, sicut in praecedenti disciplina, necessariae non erant ad valorem [30].

25. Haec disciplina vigebat ubi decretum « Tametsi » promulgatum fuerat = loca tridentina; ubi tamen pubblicatum non fuerat, vigebat disciplina innocentiana = loca non tridentina.

---

[28] Cfr. supra num. 13.

[29] Cfr. historiam elaborationis hujus Decreti apud G. Gomes, *De matrimoniis clandestinis in Concilio Tridentino*, Roma 1950, et apud L. Castán Lacoma, *El origen del capítulo « Tametsi » del Concilio de Trento contra los matrimonios clandestinos*, in *Revista Española de Derecho Canónico* 14 (1959) 613 ss., qui demostrat inspiratorem hujus decreti fuisse Beatum Joannem Abulensem.

[30] Nonnulli, sed absque fundamento, hoc negabant. Cfr. Sanchez, *op. cit*, Lib. 3, disp. 5, n. 2 ss.; cfr. etiam L. Castán Lacoma, *op. et loc. cit.* ubi enarrat oppositionem non paucorum Patrum Concilii clausulae irritanti matrimonia clandestina.

26. Duae igitur sunt species matrimonii clandestini post Concilium Tridentinum:

a) Matrimonium celebratum *omissis culpabiliter bannis*, etsi observata fuerat forma tridentina [31];

b) Matrimonium celebratum *omissa forma tridentina*, etsi praemissae fuerant publicationes [32];

Cl. Sánchez, post alias expositas opiniones auctorum, ita prosequitur: « Multo tamen rationi conformius est ut duae tantum sint matrimonii clandestini species. Clandestinum enim (ut nomen ipsum prae se fert) dicitur quod clam fit; unde id solum matrimonium dicetur clandestinum, in quo, aut testes deficiunt et proinde clam omnino celebratur; aut denuntiationes, ad perfectam ejus publicationem ab Ecclesia petitae, desiderantur. Caeteris enim solemnitatibus omissis, non clandestinum, sed minus solemne appellabitur [33].

Contra hanc communem doctrinam pluries invocatum est, temporibus praesertim nostra aetate vicinioribus, responsum S. C. Concilii in causa Hieracen. an. 1587 datum: « An, omissis Edictis, hujusmodi matrimonium dicatur clandestinum prolesque illegitima, veluti sine testibus et parocho contraheretur? S. Congregatio responsum tulit: Non dici » [34]. Sed hoc responsum, ut puto, intelligi debet juxta opinionem communem et exponsi hoc modo « An, omissis non culpabiliter vel cum dispensatione Edictis, hujusmodi ... ».

Hanc interpretationem educere licet ex hoc altero Responso ejusdem C. Congregationis Concilii in causa Vercellen. d. 20 maji an. 1719: « Matrimonium quod fit non praemissis denuntiationibus, dicitur clandestinum, quando omissio denuntiationum fit cum culpa et cum dolo ...; secus autem, quoties omissio secuta fuit sine dolo et sine culpa et cum consilio parochi » [35].

---

[31] Nisi agatur de locis *non tridentinis*, ubi legitima existat consuetudo omittendi banna, juxta supra dicta num. 19 ss.

[32] Hoc intelligitur, ut clare patet, de locis tridentinis.

[33] Sánchez, *op. cit.* Lib. 3, disp. 1, num. 3. Idem tenet Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum Universum*,, Tom. 4, pars 2, tit. 3 in princ. Agitur de clandestinate sensu juridico, non sensu sociali, ut recte exponit H. González, in textu supra not. (14) relato.

[34] In Hieracen. an. 1587. Cfr. S. Pallottini, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Concilii*, tom. 12 sub v. « *Matrimonium* » § 5 num. 82 (ed. Romae 1886, p. 532); idem in Zamboni, *Collectio declarationum S. C. Concilii*, sub v. « *Matrimonium* » § 17 num. 11 (Ed. 1861 tom. 2, p. 433) qui addit mensem « sept. 1587.

[35] Cfr. Pallottini, *op. cit.*, tom. 12 sub v. « *Matrimonium* » § 5 num. 80

Nihilominus, ut infra dicemus, notio clandestinitatis, saltem in sensu proprio, restricta fuit ad matrimonium non celebratum forma tridentina [36].

27. Viget adhuc principium: matrimonia clandestina, cujuslibet speciei sint, non fruuntur beneficio legitimitatis prolis in casu nullitatis objectivae; idest clandestinitas, e quolibet procedat capite, punitur poena illegitimitatis prolis, si matrimonium nullum postea detegatur.

28. Ideo, celebratio coram Ecclesia, relate ad matrimonium putativum, significat seu comprehendit:

1) In locis tridentinis, has duas simul formalitates: a) contrahere praemissa publicatione bannorum; b) contrahere observata forma tridentina.

2) In locis non tridentinis, publicationem tantum bannorum [37].

In hoc altero casu, cum decretum « Tametsi » non urgeat, matrimonia reguntur jure praetridentino, idest erunt putativa vel minus juxta disciplinam innocentianam supra traditam.

In primo tamen casu, consulto diximus celebrationem coram Ecclesia comprehendere *duas simul* formalitates, scilicet banna et formam tridentinam. Banna absque forma non sufficiunt; nec forma sine bannis; in utroque casu matrimonium est clandestinum, saltem quoad poenas, idest saltem quo ad hoc quod proles non sit legitima, si matrimonium objective nullum sit, etiam supposita bona fide contrahentium, nisi posito alterutro elemento, adsit bona fides circa omissionem alterius, ut infra dicemus.

29. Doctrina haec dici potest communis in periodo classica post Tridentinum, quamvis non defuerint auctores qui contrarium tenerent.

Cl. Sánchez, hanc sibi proponit quaestionem: « An matrimonium celebratum coram parocho et duobus testibus, dicatur clandestinum quoad poenas ejus incurrendas, si denuntiationes omittantur » [38]. Agitur tamen de omissione illicita, de qua est difficultas,

---

(ed. 1886 tom. 12 p. 532); cfr. etiam responsum S. C. Concilii in causa Callien. d. 17 aug. 1776 in Pallottini, *op. et loc. cit.* num. 79, p. 532, et infra in num. 33 relatum.

[36] Cfr. infra num. 32 ss.

[37] Nisi alia sit ibi legitima consuetudo, juxta supra tradita. Haec tamen exceptio non habet locum in praecedenti casu, quia promulgatio decreti « Tametsi » abrogavit consuetudinem contrariam, etsi postea concessiones pontificiae in certis regionibus vim praedicti Decreti coarctaverint.

[38] Sánchez, *De sancto matrimonii sacramento*, Lib. 3, disp. 1, num. 4.

ut ipse egregius canonista definit [39]. « Quidam enim, praemittit Sánchez, negant tunc esse clandestinum. Ducunt 1. quia publice et in facie Ecclesiae videtur id matrimonium celebrari, cum parochus qui persona publica est et testes Ecclesiae nomine adsint ... Mihi vero, prosequitur Sánchez, potius placet id matrimonium esse clandestinum quoad poenas incurrendas ...; 1. quia attento Concilio generali Lateranensi..., hoc erat matrimonium clandestinum quoad poenas incurrendas...; 2. quia Tridentinum... statuit poenam contrahentibus coram parocho et testibus absque denuntiationibus...; 3. quia non cessat ratio ob quam ecclesia reputabat hoc matrimonium esse clandestinum, cum vere occultum possit dici quod tribus tantum est cognitum, nec detegentur impedimenta, si quae forte sint, cum publice non constet et facile sit tres impedimenti ignaros esse » [40]. Eandem rationem evolvit alibi: « Et confirmatur quia indubitanter efficacius medium est, ut impedimenta detegantur, publicare matrimonium contrahendum ter in ecclesiis..., quam contrahere secreto coram parocho et duplici teste; sed omittentes hoc secundum medium censentur habere ignorantiam affectatam; ergo a fortiori omittentes primum » [41].

Ex dictis clare patet esse clandestinum tum matrimonium contractum praemissis tantum denuntiationibus et omissa culpabiliter forma tridentina, tum matrimonium contractum observata forma tridentina sed omissis culpabiliter denuntiationibus [42].

---

[39] « Et quidem dubitat nemo tale non dici, quando denuntiationes juste omittuntur ex ordinarii licentia... Tota autem difficultas est quando illicite omissae sunt denuntiationes ». Sánchez, *op. loc. cit.* num. 4 et 6.

[40] Sánchez, *op. et loc. cit.* num. 7. Eandem sententiam sustinet et amplius evolvit contra Petrum a Ledesma ipse cl. Sánchez, ubi, inter alia, haec majoris momenti notat pro clandestinitate horum matrimoniorum: « omnino militat ratio...: quod videlicet parentes affectatores ignorantiae videantur, et ita non datur in eis bona fides, impedimentique iusta et probabilis ignorantia: cum enim denuntiationes eo tendant ut impedimenta, si quae sint, detegantur, eo ipso quod contrahentes matrimonium illas omittunt culpabiliter affectant ignorantiam, cum diligentiam jure praescriptam ad assequendam veritatem despiciant ». Sánchez, *op. cit.* Lib. 3, disp. 42, num. 6.

[41] Sánchez, op. cit., lib. 3, disp. 42, num. 6.

[42] Haec est opinio communis apud canonistas illorum saeculorum. Audiatur, inter alios, Schmalzgrueber, qui saeculum post Sánchez viguit: « Contrahentes, non praemissis denuntiationibus, aequiparantur scientibus (impedimentum dirimens) ». *Jus Ecclesiasticum Universum*, tom. 4, pars 2, tit. 1, num. 74. Et clarius paulo post: « Matrimonium coram parocho et testibus celebratum, si denuntiationes praemissae non sint, clandestinum dicitur. Igitur cum jura loquantur generaliter, etiam illud subjectum poenis hactenus relatis ». Schmalzgrueber, *op. et loc. cit.* num. 86. Cfr. etiam L. Engel, *Collegium Universi Juris Canonici*, Lib. 4, tit. 17, num. 4. Hoc idem concludit A. Esmein scribens de

D. Sensus proxime ante Codicem

30. Maximi momenti in evolutione sensus formulae « celebrationis coram Ecclesia » fuit distinctio a cl. Sánchez proposita et deinde generaliter admissa. Videamus dubium et solutionem:

« Dubium autem est, utrum haec poena matrimonii clandestini intelligatur solum quando impedimentum, ob quod nullum fuit, est consanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis?

Quidam enim censent in eo solum casum intelligi...

Sed dicendum est habere locum dictam poenam, ob quodcumque aliud impedimentum, eo quod matrimonium irritum sit. Nam eadem prorsus ratio textus militat in quocumque alio impedimento: quod parentes affectatores ignorantiae videantur, cum debitam diligentiam non adhibuerint ad inquirendum impedimentum: et ubi ratio expressa in textu omnino militat, lex quantumque poenalis extendenda est ad illum casum... Pro eadem sententia sunt alii doctores universaliter et indistincte docentes, ut filii ex matrimonio invalido procreati, sint legitimi, desiderari illud clandestinum non esse...

Hanc tamen sententiam ego intelligerem, quando causa nullitatis matrimonii non esset impedimentum consanguinitatis, affinitatis vel cognationis, esset tamen eiusmodi ut ad illam detegendam praemissae denunciationes conferre possent; secus ubi eae nihil conferunt ad hoc, ut si matrimonium clandestinum nullum fuisset ex defectu consensus interni alterius conjugis, vel ex defectu parochi communiter talis reputati, cum nullum titulum haberet, sed esset intrusus... In his enim casibus proles suscepta ex eo matrimonio clandestino putativo, esset legitima; et erit vera prior sententia; nec credo posteriorem illi contradicere, quia cessat omnino ratio... cum hi contrahentes non possint dici affectatores ignorantiae, quandoquidem omni diligentia adhibita, id scire nequibant » [43].

Distinctio haec, etsi a quibusdam minus probabilis aestimata [44], recepta fuit ut doctrina communis [45].

Concilio Tridentino: « Il ordonne de refuser toute dispense à ceux qui contracteraient un mariage entre parents au degré, et cela quand même ils auraient été de bonne foi, s'ils n'ont pas fait procéder à la publication des bans. A plus forte raison le défaut des bans doit-il suffire pour que l'on ne puisse considérer comme putatif un mariage nul ». A. Esmein, *Le mariage en droit canonique*, tom. 2, p. 201.

[43] Sánchez, *op. cit.*, Lib. 3, 42, num. 3-5.

[44] V. gr. a Aegidio de Coninck. qui tamen opinionem Sánchez non rejicit absolute, sed de ea dicit « quod non est improbabile. Contrarium tamen credo

31. Consequentiae hujus distinctionis graves sunt in nostra materia, nam juxta illam:

a) Nullitas objectiva matrimonii putativi oriri potest, non solum ex impedimentis classicis, sed etiam *ex defectu consensus* et *ex defectu formae substantialis*.

b) Omissio, etiam dolosa, bannorum, quando haec nihil conferre possunt ad detegendam nullitatem objectivam matrimonii, non impedit quominus matrimonium possit esse putativum prolemque ex eo susceptam, legitimam, si ceteroqui forma tridentina observata sit.

c) Matrimonium nullum ob defectum consensus, contractum omissis culpabiliter denunciationibus in locis non tridentinis ubi viget disciplina innocentiana, est putativum, non obstante clandestinitate, si celebratum est publice, coram populo fidelium, supposita bona fide circa nullitatem [46].

32. Ultima conclusio aperte contradicit disciplinae et celebrationi innocentianae, sed contenta est in praemissis distinctionum canonistarum. Ex una parte clandestinitas orta ex omissione dolosa publicationum conciliari potest cum validitate matrimonii et cum ejusdem conditione putativa. Econtra clandestinitas orta ex omissione formae tridentinae secum semper ferebat nullitatem matrimonii et impossibilitatem beneficium obtinendi matrimonii putativi. Ita sensim sine sensu factum est ut clandestinitas synonimum esset nullitatis. Cum matrimonium contractum, omissis publica-

---

probabilius, quia, ut jam ostendi, jura concedentia illud privilegium, expresse concedunt solis illis qui in facie Ecclesiae contrahunt, quare eo non gaudent quicumque clandestine contrahunt ». Aeg. de Coninck, *De sacramentis et censuris*, tom. 2, disp. 27, num. 77.

[45] Cfr. v. gr. H. Pirhing, *Jus canonicum*, lib. 4, tit. 17, num. VI; Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum universum*, tom. 4, pars 2, tit, 3, num. 77; et auctores infra citatos.

[46] Ratio harum distinctionum et doctrinae, a cl. A. H. Eysink, *Matrimonium clandestinum et matrimonium putativum*, p. 60, nimis festinanter reputata illogica, quaerenda est in statu rerum matrimonialium in Ecclesia tunc existente. Tempore Innocentii III nullum invocabatur caput nullitatis nisi existentia impedimentorum; huic nullitatis capiti sufficienter providebatur per obligationem bannorum. Tempore vero Concilii Tridentini plures nullitatem accusabant matrimonii ex defectu consensus; novo nullitatis capiti provisum fuit per necessitatem formae determinatae ad valorem matrimonii. Ad detegendum defectum consensus publicatio bannorum nihil deservibat; ex forma vero tridentina, quae manifestationem publicam coram testibus exigebat consensus, probatio nullitatis ex hoc capite difficilior evadebatur. Inde factum est ut canonistae majores tribuerent partes observantiae formae tridentinae, quam publicationi bannorum, ut statim dicimus.

tionibus, numquam invalidum fuit ex hac sola ratione, non semel negata ei fuit conditio clandestinitatis.

Hinc, apud auctores posteriores, vel dicitur matrimonium sine publicationibus non ese simpliciter clandestinum, vel non esse tale nisi in sensu lato et improprio [47].

33. Aliquos afferamus textus qui hanc conclusionem et finem evolutionis sensus celebrationis coram Ecclesia demonstrent.

S. C. Concilii in causa Callien. d. 17 aug. 1776 hoc dedit responsum: « Ex hoc ipso quod denuntiationes propria auctoritate et culpabiliter, ceteris tamen servatis solemnibus, omissae fuerunt, matrimonium dicitur illicitum et clandestinum, *largo tamen modo sumptum*, quod poenis quidem praescriptis matrimoniis clandestinis, nunquam autem invaliditati subditur » [48].

Fejie reservationem nominis clandestini consulebat unice matrimonio omissa forma tridentina celebrato: « Tantum disciplinae mutationem induxit novi hujus impedimenti dirimentis (clandestinitatis) constitutio, ut, licet etiam post Tridentinum appellatio clandestini matrimonii *aptari* possit matrimonio non publice nuntiato, consulendum tamen sit ut appellatio illa unice propria habeatur matrimonio sine forma tridentina contracto » [49].

Wernz, qui tamen admittit necessitatem bannorum ad matrimonium putativum [50], in mentem revocat responsum S. C. Concilii in causa Hieracen. supra relatum [51] et scribit: « Matrimonium, servata forma substantiali Concilii Tridentini celebratum, S. C. C. in causa 1587 censuit non dici clandestinum » [52].

---

[47] Ita etiam factum fuit, ut canonistae majus tribuerent momentum clandestinati ob omissionem formae, quam ob publicationum omissionem, cum relativis consequentiis.

[48] In: Pallottini, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Concilii*, sub v. « *Matrimonium* » § 5 num. 79 (ed. 1886 tom. 12, p. 532).

[49] Feije, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, Lovanii 1893, num. 195.

[50] « Legitima quoque habenda est proles nata ex matrimonio putativo sive irrito ob impedimentum occultum, sed contracto publice in facie Ecclesiae secundum formam ecclesiasticam i. e. praemisis bannis et coram parocho loci vel ejus delegato et testibus, ubi viget, aut saltem praemissis denuntiationibus matrimonialibus, si in illo matrimonio forma substantialis ecclesiastica ad valorem matrimonii non requiratur, et bona fide interveniente ex una saltem parte ». Wernz, *Jus Decretalium*, tom. IV: *Jus matrimoniale Ecclesiae catholicae*, num. 682.

[51] Cfr. supra num. 26, not. [34].

[52] Wernz, *op. cit.* num. 136; cfr. tamen ibi not. [19].

Ojetti clarius scribit: « Matrimonium celebratum in forma tridentina, sed absque praemissis debitis proclamationibus, non solum non est invalidum, sed ne clandestinum quidem dici potest » [53]. Juxta Ojetti matrimonium clandestinum et matrimonium validum videtur non posse componi, ex supra dicto praejudicio, nempe clandestinitatem arguere necessario nullitatem; et hac doctrina ductus, vocat improprie clandestinum matrimonium contractum omissis publicationibus in disciplina innocentiana [54].

34. Concludimus: Post Condicium Tridentinum duas periodos distinguere possumus. In prima celebratio coram Ecclesia significat contrahere praemissis bannis et observata forma tridentina; in altera, vero, idipsum ordinarie vult, sed, in nonnullis casibus, significat praecipue observantiam formae tridentinae, ita ut hanc distinctionem statuere liceat: celebratio coram Ecclesia significat proprie et stricte observantiam formae tridentinae, in sensu vero lato et minus proprio significat *etiam* observantiam bannorum.

Cl. Ojetti optimam, ni fallor, proposuit formulam: « Proprie matrimonium clandestinum dicitur, quum initur *sine interventione auctoritatis ecclesiasticae*, omissis publicationibus atque forma publica in facie Ecclesiae [55].

Celebratio igitur coram Ecclesia significat contrahere matrimonium cum interventione auctoritatis ecclesiasticae, seu, ut antiqui dicebant, sciente vel opinante Ecclesia.

E. - Sensus in Codice Juris Canonici

35. Verba Codicis indeterminata sunt: « Matrimonium invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de ejusdem nullitate certa evadat » (c. 1015 et 4).

Canon igitur expresse non includit nec excludit: a) denuntiationes; b) formam canonicam. Proinde interpretatio ad normam can. 6 facienda esset, i. e. jus vetus consulendum.

---

[53] B. Ojetti, *Synopsis rerum moralium et juris pontificii*, sub v. « *Banna* », Romae 1909, vol. I col. 329, ubi, post transcripta verba, citat responsum S. C. Concilii in causa Hieracen.

[54] « Post Concilium Lateranense, scribit Ojetti, improprie dictum est clandestinum matrimonium quod initur in facie ecclesiae, sed omissis proclamationibus, et est validum sed illicitum ». Ojetti, *op. cit.*, sub v. « *Clandestinitas* », Vol. I col. 771.

[55] Ojetti, *op. et loc. cit.* Etiam in hoc loco remittit Ojetti ad responsum S. C. Concilii in causa Hieracen. an. 1587; cfr. supra num. 26, not. [34].

In Codice tamen poena clandestinitatis non amplius retinetur; ideo nec omissio bannorum nec omissio formae canonicae secum fert poenam illigitimitatis prolis. Necesse est quidem, ut matrimonium « celebratum fuerit », sed in veteri jure in disciplina innocentiana et postea in locis non tridentinis, matrimonium « celebratum erat » relate ad ligitimitatem prolis, cum denuntiationes praemissae erant; in locis tridentinis cum insuper forma tridentina adhibita erat. Ergo in jure Codicis dicendum esset matrimonium celebratum fuisse cum denuntiationes factae fuerant, vel cum forma canonica adhibita erat. In utroque casu matrimonium dicitur celebratum, i. e. initum cum interventione auctoritatis ecclesiasticae.

Sed doctrina omnino abstraxit a publicationibus, et de necessitate formae dubitavit [56].

F. - Sensus in responso Commissionis Interpretis

36. Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos responsum dedit d. 26 jan. 1949, a Card. Massimi, Praeside Commissionis, firmatum: « An sub verbo « celebratum » can. 1015 § 4 intelligi debeat dumtaxat matrimonium coram Ecclesia celebratum. R. Affirmative [57] ».

Sensus hujus responsi, juxta interpretationem auctorum, esset matrimonium invalidum celebrari *semper debere* forma canonica, vel saltem cum apparentia seu specie vel figura formae, ut putativum dici possit. In concreto: intentio Commissionis Interpretis fuit excludere a beneficio matrimonii putativi omnia illa matrimonia mere et tantum civiliter contracta [58] eorum qui ad formam canonicam tenentur [59]. Interpretantur igitur stricte celebrationem coram Ecclesia et eam restringunt ad solam formam canonicam.

---

[56] Supra num. 7 exposuimus diversas opiniones auctorum circa interpretationem hujus canonis. Illa autem opinio quae formam civilem admittebat, et naturam propriam, et traditionem, et evolutionem matrimonii putativi Ecclesiae ignorare vel evertere videbatur.

[57] *AAS* 41 (1949) 158. Idem statuit Codex Orientalis, *De matrimonio* can. 4 § 4.; cfr. supra num. 8.

[58] Dicimus « mere et tantum civiliter » ut excludamus matrimonia civilia eorum qui in circunstantiis versantur extraordinariis can. 1098 et pro quibus matrimonium civile potest esse etiam canonicum, servatis servandis.

[59] Haec doctrina communis et interpretatio responsi videri possunt apud auctores qui de re scripserunt vel responsum commentarunt quosque non semel retulimus. Commemorare placet studium cl. Bender, *Matrimonium putativum*

37. Mihi tamen videtur nullam adesse solidam rationem restringendi celebrationem coram Ecclesia ad *solam formam* canonicam. Haec interpretatio abhorret a spiritu, natura et historia instituti matrimonii putativi. Celebratio coram Ecclesia latius patet semperque patuit quam forma canonica, et, praeter ipsam formam, comprehendit alias sollemnitates et formalitates, quibus datis ac rite positis, matrimonium, etsi forma materialiter omissa fuerit, adhuc potest dici celebratum coram Ecclesia ideoque, ceteris stantibus, putativum.

Verum est: matrimonium contractum forma canonica, semper esse celebratum coram Ecclesia; sed non est falsum: matrimonium contractum sine forma, nonnumquam posse dici celebratum coram Ecclesia ad effectus matrimonii putativi obtinendos.

Non igitur negamus *necessitatem celebrationis coram Ecclesia*, sed affirmamus illam obtineri posse, etiam omissa materialiter forma, quoties scilicet matrimonium, juxta modum dicendi antiquorum, posse dici *contractum palam, sciente seu opinante seu interveniente Ecclesia* qua societate perfecta; secus, putativum nequit esse [60].

---

seu celebratum coram ecclesia (c. *1015* § 4), in *Monitor Ecclesiasticus* 1957 p 146-156, ubi rejicit sensum responsi esse: « celebratum coram persona ab Ecclesia deputata ut tamquam testis qualificatus assistat », quia tunc excluderentur matrimonia cum scla specie seu figura formae canonicae celebrata (p. 149), vel « matrimonium celebratum in forma ab Ecclesia statuta », quia excluderentur matrimonia eorum qui non tenentur ad formam observandam (ib.). Animadvertit postea ipse cl. doctor conatum recte interpretandi responsum exitum felicem habere nequire si positive procedere velimus; ideo negative procedendum est, i. e. inquirere quaenam matrimonia excludere voluerit Responsum a beneficio legitimitatis prolis (p. 150), et concludit sensum responsi esse excludere e categoria matrimoniorum invalidorum et proinde putativorum matrimonia celebrata actu tantum civili inter eos de quibus in c. 1099 § 1. Ideo « habetur matrimonium invalidum non celebratum coram ecclesia et proinde non putativum, etsi celebratum in bona fide, saltem alterutrius partis, si matrimonium ab eis de quibus in c. 1099 § 1 celebratum sit, neglecta prorsus forma ab Ecclesia praescripta » (ib. p. 153). Ita etiam concludit, inter recentiones, Bank: « Haec declaratio evidenter illos tantum respicit, qui ad formam canonicam tenentur (c. 1099 § 1). Horum ergo matrimonium civile, etsi bona fide initum (e. gr. in matrimonio mixto) amplius putativum considerari nequit ». Bank, *Connubia canonica*, Romae 1959, p. 54.

[60] Igitur matrimonium mere et tantum civiliter (cfr. notam [58]), sive eorum qui tenentur ad formam canonicam, sive eorum qui ab ea exempti sunt, non potest esse putativum, non praecise quia contraxerunt sine forma, sed quia, etsi palam, re vera contraxerunt Ecclesia nihil sciente vel interveniente. Circa matrimonium acatholicorum cfr. X. Ochoa, *Acatholici et legitimitas prolis ex matrimonio putativo canonico*, in *Comm. pro Religiosis et Missionariis* 39 (1960) 425-454.

V. - CELEBRATIO CORAM ECCLESIA ET FORMA CANONICA

38. Celebratio coram Ecclesia et forma canonica se habent inter se et distinguuntur tanquam totum et pars. Si contrahitur observata forma canonica, ordinaria vel extraordinaria juxta casus, celebratur quidem coram Ecclesia. Sed forma non absolvit *totam* celebrationem coram Ecclesia, et, omissa forma, si aliae ponantur sollemnitates, matrimonium dici potest celebratum coram Ecclesiia, si scilicet Ecclesia, qua societas perfecta, illud matrimonium scivit et in contrahendo intervenit, et aliunde demonstratur bona fides circa ipsam omissionem vel nullitatem formae. Hoc ultimum requiritur non praecise ratione celebrationis coram Ecclesia, sed ratione *bonae fidei* circa objectivam nullitatem matrimonii. Bona fides semper requiritur, ex quolibet procedat capite nullitas matrimonii: ex defectu formae non secus ac ex existentia impedimentorum dirimentium vel ex defectu consensus [61].

39. Dignum notatu est auctores, etsi non expresse, admittere indirecte distinctionem inter formam canonicam et celebrationem coram Ecclesia. Admittunt enim posse putativum esse matrimonium celebratum cum specie seu figura formae; idest, matrimonium *nullum ratione formae* posse esse *celebratum coram Ecclesia.* Unde aliud est forma canonica, in casu nulla; aliud, celebratio coram Ecclesia (in casu vera); etsi prima deficiat, altera consistere potest. Ergo re vera distinguntur.

40. De relationibus inter celebrationem coram Ecclesia et formam canonicam haec principia efformare possumus.

1. *Matrimonium contractum forma canonica, ordinaria vel extraordinaria juxta casus, est certe et, ut ita dicam, classice celebratum coram Ecclesia.* Ergo, ex hac causa, potest esse putativum. Hoc principium ab omnibus admittitur.

---

[61] In hujus distinctionis defectu fundatur illud « equivoco singolare che consiste nell'aver creduto che, quando i canonisti, accanto alla necessità della buona fede, ponevano la necessità che il matrimonio fosse contratto publice, palam, solemniter, etc., intendessero escludere gli effetti del matrimonio putativo, rispetto ad un matrimonio nullo ex-capite clandestinitatis, anche se contratto in buona fede » a P. Fedele, *L'essenza della buona fede nella dottrina canonistica del matrimonio putativo,* in *Rivista di diritto Civile* 31 (1939) 479 denuntiatum. Fundamentum ambiguitatis in eo forsitan consistere potest quod clandestinitas in veteri jure, praeter conditionem impedimenti matrimonialis, induebat etiam naturam juridicam delicti, cujus *poena a jure statuta* erat illegitimitas prolis, si verum delictum aderat. In jure Codicis, ut supra diximus num. 35, clandestinitas naturam delicti non amplius retinet, et, quatenus caput nullita'is, acquiparatur impedimentis dirimentibus vel consensus defectui.

2. *Matrimonium nullum ratione formae potest esse putativum.* Hoc principium, ita generaliter enuntiatum, ab omnibus etiam admittitur. Sed auctores communiter addunt ac requirunt ut hoc matrimonium, nullum ratione formae, celebratum fuerit cum *specie seu figura* formae. Idest, admittunt matrimonium putativum si forma, etsi invalida, adhibita est; secus, si forma omnino omissa fuit, matrimonium non potest esse putativum, ratione celebrationis coram Ecclesia.

41. Mihi autem videtur matrimonium nullum ratione formae, vel quia invalida, vel quia omissa fuit forma, non esse exclusum a priori a beneficio matrimonii putativi. Etenim:

42. a) *Nullibi invenimus exclusam a beneficio matrimonii putativi nullitatem ob omissionem formae.*

1) Canon *absolute* loquitur, nullam statuens exceptionem invaliditatis.

2) Jus vetus admittebat matrimonium *putativum absque forma,* ut supra vidimus in periodo innocentiana.

3) Cl. Massimi, cujus quidem testimonium non est spernendum [62], scribebat: « Qualsivoglia nullità può dar luogo ad un matrimonio putativo, purchè si verifichino alcune condizioni » [63]. Ergo matrimonium contractum omissa forma non potest dici exclusum a priori a conditione matrimonii putativi [64].

43. b) *Nihil obstat quominus nullitas ob omissionem formae possit esse objectum bonae fidei contrahentium,* si aliae et tales

---

[62] Ipse enim signavit responsum Commissionis Interpretis d. 26 jan. 1949. Hanc circumstantiam indicat obiter, sed non ambigue, P. Fedele cum scribit: « Gli autori dei due documenti pontificii... (responsi scilicet Commissionis Interpretis et Codicis Orientalis de matrimonio) erano perfettamente persuasi che, aggiungendo l'espressione « coram ecclesia » alle parole « celebratum fuerit » del can. 1015 § 4 del Codex, non facevano altro che uniformarsi allo ius vetus ». P. Fedele, *A proposito di una recente innovazione in tema di matrimonio putativo,* in *Eph. Juris Canonici* 6 (1950) 218.

[63] M. Massimi, *Del matrimonio putativo contratto in buona fede,* Roma 1899, p. 46.

[64] Quod clare patet ex exemplis ab ipso cl. Massimi allatis: « Supponiamo che una persona priva di ogni autorità, di accordo con uno dei contraenti, unisca costui in matrimonio con l'altro coniuge, che è nella massima buona fede di contrarre un vero matrimonio ». M. Massimi, *op. cit.* p. 51. Matrimonium ita contractum potest esse putativum. Eodem modo: « Il matrimonio contratto innanzi ad un ufficiale di stato civile incompetente o celebrato irritualmente non è escluso a priori dagli eventuali vantaggi del matrimonio putativo ». M. Massimi, *op. cit.* p. 52.

dentur circumstantiae ut adhuc, omissa forma, matrimonium dici possit celebratum cum interventu Ecclesiae:

1) Generaliter admittitur nullitatem ob defectum consensus posse esse objectum bonae fidei alterius partis. Jam vero defectus consensus dirimit matrimonium jure naturae; econtra defectus formae, jure tantum positivo. Si ergo, in omnium opinione, nullitas ob defectum consensus potest esse objectum bonae fidei, quare hoc negandum est nullitati ob defectum formae?

2) Auctores generaliter admittunt nullitatem ex forma invalide posita, v. gr. ob defectum jurisdictionis, testium, ob formam extraordinariam in casibus ordinariis adhibitam, etc., objectum esse posse bonae fidei partium et compatibilem cum matrimonio putativo. Jam vero, in jure canonico eadem est nullitas proveniens ex forma *invalide posita*, quam ex forma *totaliter omissa*, ut statim dicemus.

44. c) Si matrimonium, cum specie seu figura formae contractum, potest esse putativum ratione celebrationis coram Ecclesia, *etiam potest esse* putativum matrimonium contractum cum omissione formae, quia in jure canonico substantivo idem est actus positus cum forma invalida quam positus cum omissione formae.

1) Prima pars communiter admittitur ab auctoribus.

2) Distinctio inter formam materialiter tantum, seu invalide positam, et totaliter omissam non admittitur in jure canonico. Nullibi in jure canonico substantivo viget haec distinctio inter actum nullum et actum inexistentem, inter matrimonium nullum et matrimonium inexistens.

3) Putamus in subjecta materia magni esse faciendam opinionem et doctrinam cl. Massimi [65], qui ipse signavit responsum Commissionis Interpretis d. 26 jan. 1949 [66]. Praemittit distinctionem a civilistis, praecipue gallicis, propugnatam inter matrimonium *nullum*, i. e. annullabile sive absolute sive relative, et matrimonium *non-existens*, cui scilicet deest sive diversitas sexus, sive consensus, sive celebratio sollemnis [67]. Animadvertit deinde plures juris civilis cultores excludere a possibilitate matrimonii putativi matrimonia non-existentia [68] et prosequitur: « Non ei

---

[65] In opusculo cui titulus: *Del matrimonio nullo contratto in buona fede*, Roma 1899.

[66] Cfr. quae notavimus supra in nota 62

[67] Cfr. M. Massimi, *op. cit.* p. 43-44.

[68] Cfr. M. Massimi, *op. cit.* p. 45; P. Fedele, *L'essenza della buona fede*

sentiamo punto autorizzati a distinguere in proposito tra nullità e nullità. Poi la tradizione è in nostro favore: prescindendo dalle teorie restrittive francesi, noi non troviamo cenno di nullità che vadano a priori escluse dai benefizi del matrimonio putativo »[69].

45. d) Conditio adhibendi saltem speciem seu figuram formae canonicae ut matrimonium possit dici putativum, rejicienda videtur ut arbitraria.

Canon enim dicit « celebratum fuerit » et Pont. Comm. Interprex « celebratum fuerit coram Ecclesia », quin conditionem statuant vel distinctionem contineant inter formam veram et apparentem. Ideo si forma requiritur, adhibenda esset *vera* forma, quin sufficeret species seu figura formae, quia forma nulla, idem est ac non-forma.

Admittimus quidem bonam fidem difficilius probari posse, forma totaliter omissa quam invalide adhibita; nam facilius probatur bona fides cum actus existit, etsi invalide positus, quam cum non existit. Sed major vel minor difficultas ad probandum non pertinet ad naturam matrimonii putativi.

VI. CELEBRATIO CORAM ECCLESIA ET BONA FIDES

46. Institutum matrimonii putativi fundatur in bona fide et ejus qui numerantur effectus sunt, in specie tamen legitimatio prolis, velut premium ipsius bonae fidei.

Non tamen sufficit bona fides psicologica, privata, seu mere interna, quamvis praecipua maximique sit momenti. Cum enim in re versemur sociali et publica, necessaria est etiam bona fides juridica, publica, externa quae, coram societate, bonae fidei privatae existentiam arguat et praesumptionem ignorantiae affectatae seu dolosae nullitatis matrimonii excludat.

Haec fides publica, distincta immo independens a fide privata, requiritur ratione boni publici, et datur cum matrimonium celebratur publice coram Ecclesia. Ex eo enim quod Ecclesia scit et intervenit in aliquo matrimonio concreto, et adhibita sunt media idonea ab ipso Ecclesiae jure determinata et ordinata, utpote examen sponsorum, publicationes, testes, inscriptio in libro matrimo-

---

nella dottrina canonistica del matrimonio putativo, in *Rivista di diritto civile*, 31 (1939) 477.

[69] M. Massimi, *op. cit.* p. 45; P. Fedele, *loc. cit.* p. 478; cfr. etiam P. Fedele, *A proposito di una recente innovazione in tema di matrimonio putativo*, in *Eph. Juris Canonici* 6 (1950) 219.

niorum, etc., ad detegenda capita nullitatum matrimonialium societas ipsa, idest Ecclesia, praesumere debet nullitatem, si qua postea detegatur, negligentiae, dolo seu malae fidei non esse tribuendam sponsorum, sed potius ignorantiae invincibili vel facto omnino occulto.

Hanc propter bonam fidem privatam et publicam Ecclesia concedit proli, inde secutae, beneficium legitimitatis, etsi de facto, ex matrimonio nullo procedat. Subjectum igitur bonae fidei psicologicae est persona privata, dum subjectum bonae fidei juridicae est ipsa societas seu Ecclesia [70].

47. Celebratio igitur coram Ecclesia est elementum a se, distinctum a bona fide privata, non certe contitutivum matrimonii putativi, sed mere necessarium ex dispositione legis. Elementum essentiale matrimonii putativi et hujus effectuum ratio essendi, est bona fides conjugum cui, ex voluntate juris, accedat necesse est, bona fides publica seu celebratio coram Ecclesia.

In confirmationem afferamus verba cl. Massimi: « Noi al contrario riteniamo che il matrimonio non solenne non possa dirsi putativo, *sol perchè il diritto* richiede la solennità, como condizione distinta dalla buona fede » [71]. Idem dixerat Schmalzgrueber: « Ratio est quia..., ut proles, ex matrimonio putative justo sit legitima, duo requiruntur, scilicet, ut matrimonium sit contractum publice, i. e. cum solemnitate, inter quas etiam sunt denuntiationes; et ut contractum sit bona fide... Effectus legitimitatis in utro-

---

[70] Haec adeo vera sunt ut nonnulli auctores, requisita enumerantes matrimonii putativi, loquuntur de bona fide et de *credulitate communitatis*, seu de errore communi. Audiamus e. gr. Ph. De Angelis: « Nomine justarum nuptiarum veniunt tum matrimonia in veritate valida, tum quae putative talia habentur, nempe in quibus ad valorem retinendum concurrit tum probabilis *communitatis credulitas*, tum utriusque aut saltem alterutriusque parentis bona fides. Quae *communitatis credulitas* habetur probabilis et bona parentum fides attenditur, cum... fuerunt denuntiationes aut banna praemissa, vel ab auctoritate ecclesiastica dispensata. Haec autem duo, nempe, *publica probabilis credulitas*, et bona fides saltem unius conjugis debent in facto copulari, quia id exigitur a citatis canonibus et a communi Doctorum sententia ». Ph. De Angelis, *Praelectiones Juris canonici*, Romae 1880, Lib. 4, tit. 17, p. 270-271. Eadem fere verba leguntur in S. Aichner, *Compendium Juris Ecclesiastici*, 1911, p. 706, num. 3, ubi nec verbum expressum continetur de forma. Cfr. etiam Schmalzgrueber, *op. cit.* tom. IV, pars IV, tit. 17, num, 26 ubi clare distinguit inter bonam fidem privatam et bonam fidem publicam ex denuntiationibus ortam. Loquitur etiam de bona fide publica J. Wiestner, *Institutionum canonicarum sive juris ecclesiastici libri quattuor*, ed. 1706, Lib. 4, tit. 17, art. I, num. 13.

[71] M. Massimi, *op. cit.* p. 49.

que foro pendet *ex solius juris*, seu canonis authoritate; atqui jus, seu canon non approbat ut legitimas proles illas, quae procreatae sunt ex matrimonio, in quo alterutrum duorum requisitorum deficit... » [72].

48. Ratio tamen hujus voluntatis ecclesiae fundatur in eo quod non celebratio coram Ecclesia arguit in contrahentibus affectatam, dolosam et culpabilem ignorantiam nullitatis matrimonii, ut antiqui dicebant, vel praesumptionem malae fidei, ut appellationi parcam recentiorum. Duo requiruntur ad matrimonium putativum, secundum González Téllez: « primum ut contrahatur cum bona fide...; secundo desideratur quod publice et in facie Ecclesiae sit contractum, *ut cognoscatur impedimenti ignorantia*, et per consequens *bona fides* » [73]. Sánchez eandem exponebat rationem: « Ideo enim nati ex matrimonio putativo sunt legitimi, quia saltem alter parens laborabat ignorantia probabili.... quae ratio cessat quando clandestine contrahitur omissis denuntiationibus, et ideo filii non sunt legitimi. Non enim est probabilis ignorantia cum omittuntur requisita ad assequendam veritatem » [74]. Tandem verba adducam cl. Massimi: « La ragione vera del precetto canonico deve riporsi nel fatto che la mancanza di solennità fornisce una presunzione di mala fede » [75].

49. Praesumptio malae fidei relate ad effectus matrimonii putativi, orta ex defectu *celebrationis coram Ecclesia*, potius quam juris et de jure, retinenda est fundata in periculo communi, ita ut matrimonium, deficiente celebratione coram Ecclesia, numquam possit esse putativum a jure, etiam si in aliquo casu particulari probari posset absentia malae fidei. Ad rem haec habet, inter alios, Schmalzgrueber: « Canon ille fundatur non tam in praesumptione malae fidei, quam universalis periculi matrimoniorum cum impedimento contrahendorum, si ex matrimonio, omissis *culpabiliter* denuntiationibus, contracto, suscepta proles foret legitima; quod periculum universale cum maneat, etiamsi in casu aliquo particulari nullum esset periculum, manet etiam, quod praesumptio, qua nititur canon iste, falsa non sit » [76]

---

[72] Schmalzgrueber, *op. et loc. cit.* num. 25. Cfr. etiam P. Fedele, *L'essenza della buona fede...*, in *Rivista di diritto civile* 31 (1939) 468.

[73] González Téllez, *Commentaria perpetua*, Lib. 4 ,tit. 17, cap. 2, num. 4; Schmalzgrueber, *op. cit.* tom. IV, pars I, tit. 1, num. 235 habet: « si matrimonium clandestine celebratur, scientia impedimenti praesumitur ».

[74] Sánchez, *op. cit.* tom. 1, lib. 3, disp. 41, num. 2.

[75] M. Massimi, *op. cit.* p. 49.

[76] Schmalzgrueber, *op. cit.*, tom. 4, tit. 17, num. 26. Idem scripserat

Aliter dicendum videtur si tantum omittatur vel invalida adhibeatur *forma canonica*, et matrimonium alioquin dici possit celebratum coram Ecclesia. Tunc praesumptio malae fidei est juris tantum, vel ad maximum juris et de jure, quae admittit probationem, saltem indirectam, in contrarium. Haec malae fidei purgatio requiritur, non ex capite celebrationis coram Ecclesia, sed ex capite nullitatis objectivae matrimonii ortae, generaliter, post cognitionem et interventum Ecclesiae [77].

Utilis igitur et nova luce logica apparet distinctio inter formam canonicam et celebrationem coram Ecclesia.

VII. CELEBRATIO CORAM ECCLESIA STRICTE ET LATE SUMPTA.

50. Celebratio coram Ecclesia, quam jus canonicum requirit ad matrimonium putativum, sumi potest in lato et stricto sensu.

A. Celebratio in sensu stricto.

51. In *sensu stricto*, celebratio coram Ecclesia significat actum quo matrimonium externe perficitur, et consistit *in manifestatione legitima consensus* (can. 1081). Primum, idest *manifestatio* consensus *ad essentiam* pertinet matrimonii, et a nulla humana potestate suppleri valet (can. 1981 § 1). Alterum, vero, idest manifestatio *legitima* non pertinet ad essentiam. Cum enim manifestatio legitima nihil aliud sit quam manifestatio ad normam juris seu legis, cumque plura requirere soleat jus in manifestatione consensus, quaerendum est in concreto quid lex requirat ad valorem, quid vero ad liceitatem tantum matrimonii. *Utrumque* tamen pertinet ad manifestationem legitimam consensus.

J. Wiestner, *op. et loc. cit.* num. 13; cfr. etiam A. H. Eysink, *Matrimonium clandestinum et matrimonium putativum*, p. 60.

[77] In veteri jure quaestio aliquantulum diversa erat, nam omissio tum publicationum tum formae tridentinae naturam, ut pluries diximus, induebat poenalem. Nihilominus ante Concilium Tridentinum et postea in locis non tridentinis, mala fides proveniens ex omissione publicationum purgari poterat, et tunc proles erat legitima, si aliude matrimonium publice contractum fuerat. In memoriam etiam revocetur consuetudo, ab Ecclesia admissa, non observandi publicationes, quae consuetudo componi poterat cum legitimitate prolis. Cfr. supra num. 21 ss. Cfr. etiam P. Fedele, *A proposito di una recente innovazione in tema di matrimonio putativo*, in *Eph. Juris Canonici*, 6 (1950) 218 in fine, ubi, si distinguimus celebrationem coram Ecclesia ab ipsa forma canonica, argumentatio cl. auctoris recta videtur; cfr. ipsum P. Fedele, *L'essenza della buona fede nella dottrina canonistica del matrimonio putativo*, in *Rivista di diritto civile* 31 (1939) 469-470

52. Celebratio coram Ecclesia in sensu stricto significat in concreto manifestationem consensus ad normam canonum 1094 ss., scilicet: a) *in casibus ordinariis*, coram parocho vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus testibus; b) *in casibus extraordinariis*, si haberi vel adiri nequet sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius loci vel sacerdos delegatus, coram solis testibus in mortis periculo, et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam (can. 1098).

Sed bene notandum est, celebrationem coram Ecclesia in sensu stricto *exigere* formam canonicam *ordinariam in casibus ordinariis*, et formam *extraordinariam in extraordinariis*, quin liceat, sub effectu nullitatis formam extraordinariam adhibere in casibus ordinariis. Tunc enim forma adhibita non esset legitima, idest ad normam juris posita, ac proinde non haberetur celebratio in sensu stricto; quia cum illa forma matrimonium re vera non perficitur; haberetur utique celebratio coram Ecclesia in sensu lato.

Aliis verbis: celebratio coram Ecclesia *in sensu stricto*, requirit ut adhibeatur forma *stricto sensu legitima;* idest vera et valida forma. Alias si in casibus ordinariis adhibeatur forma extraordinaria, vel parochus non sit verus parochus, vel sacerdos non sit valide delegatus, vel unus tantum adsistat testis, matrimonium non potest dici celebratum coram Ecclesia stricto sensu, sed potius in sensu lato seu amplio, juxta statim dicenda.

B. Celebratio in sensu lato.

53. In *sensu lato*, celebratio matrimonii comprehendit omnes illas formalitates et sollemnitates quae a jure requiruntur sive antecedenter sive concomitanter sive consequenter celebrationi matrimonii in sensu stricto. Hae omnes formalitates, etsi non requirantur ad valorem matrimonii, *pertinent* tamen, sensu plus minusve lato, *ad ipsam celebrationem* matrimonii coram Ecclesia, quatenus ipsam vel praeparant et praecedunt, vel comitantur, vel subsequuntur. Ideo hae sollemnitates et formalitates, nomine Ecclesiae adhibitae, dicuntur, sensu quidem lato sed non improprio, celebratio coram Ecclesia.

Antequam rationes enumeremus quibus distinctio celebrationis coram Ecclesia in sensu stricto et lato fundatur, opportunum est nonnulla praemittere de modis seu speciebus et gradibus quibus Ecclesia in fidelium matrimonii intervenit, nam diximus non semel celebrare coram Ecclesia idem esse ac contrahere matrimonium,

Ecclesia sciente et opinante seu cum interventu auctoritatis ecclesiasticae.

1. *Species et gradus interventus Ecclesiae in matrimoniis.*

54. Interventus publicus Ecclesiae in matrimoniis suorum subditorum potest esse *ab homine*, vel *a jure* prout Ecclesia, ut societas perfecta juridica, intervenit in matrimonio fidelium repraesentata ab aliqua determinata persona, vel ab ipso jure canonico.

55. In primo casu, Ordinarius loci, vel parochus, vel sacerdos legitime delegatus, intervenit in celebratione matrimonii *nomine Ecclesiae*. Unde nihil dubii matrimonium contractum coram Ordinario loci, vel parocho, vel sacerdote delegato et testibus esse celebratum publice coram Ecclesia [78]. Hic interventus potest dici ordinarius.

56. In altero casu, Ecclesia intervenit modo ut ita dicam authomatico, quatenus certis datis circumstantiis, vel conditionibus positis, ipsa lex, *nomine Ecclesiae*, perficit actum. Idem matrimonium ita contractum, etsi nulla adsit qualificata persona physica, celebratur publice coram Ecclesia ab ipso jure repraesentata. Hujusmodi interventus potest dici extraordinarius [79].

57. Interventus Ecclesiae, sive ab homine sive a jure, sive ordinarius sive extraordinarius, diversos intensitatis et extensionis gradus adquirere potest, tum ratione publicitatis, tum ratione ipsius interventus.

Ita v. gr. minimus datur gradus *publicitatis* cum matrimonium conscientiae contrahitur ad normam can. 1104-1107; minimus item gradus *interventus* cum matrimonium celebratur coram solis testibus ad normam can. 1098, 1°.

---

[78] Si tamen letimima autoritas, nomine Ecclesiae, dispensat in singulis casibus, sive a publicationibus, sive a forma, matrimonium eodem jure dicitur celebratum coram Ecclesia, quia contractum est Ecclesia interveniente per dispensationem in casu particulari. Nulla ergo dificultas oriri potest ex dispensatione relate ad celebrationem coram Ecclesia, etiam in casu dispensationis invalidae vel dolos quaesitae vel simulatae, firma manente bona fide alterius partis.

[79] Forsitam quis diceret in casu Ecclesiam repraesentatam esse a testibus, ideoque agi *de delegatione a jure* in favorem testium. Sed testes requiruntur ratione *publicitatis* potius quam ratione interventus Ecclesiae. Praeterea testes possunt esse non christiani, vel incapaces jurisdictionis ecclesiasticae. Unde non agitur de delegatione a jure, sed de interventu Ecclesiae a jure.

Maximus vero publicitatis et interventus gradus obtinetur cum matrimonium contrahitur modo ut ita dicam ordinario, omnibus adhibitis publicationibus, ritibus, sollemnitatibus in canonibus et in Instructione S. C. de Sacramentis d. 29 junii 1941 [80] recensitis ac decretis.

2. *Fundamentum distinctionis.*

58. Celebratio in sensu lato fundatur in Codice. Inter formalitates seu sollemnitates quae praeparant celebrationem matrimonii in sensu stricto notamus documenta, examen, et publicationes de quibus in can. 1019 ss.

Inter eas quae comitantur celebrationem numeramus ritus liturgicos cum quibus matrimonium celebrari solet (can. 1100 ss.).

Inter eas quae subsequuntur adnotamus instrumenta quae confici debent de peracta celebratione (can. 1103).

19. Omnes has sollemnitates seu formalitates ipse *Codex ordinat ad celebrationem* et considerare possumus veluti partes integrantes, minoris vel majoris momenti, ipsius celebrationis.

Etenim in cap. I (tit. VII « *De matrimonio* ») agitur: « De iis que matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus ». Ut patet, ipse Codex ordinat has sollemnitates ad celebrationem; sunt ergo velut celebratio in phasi seu parte praeparatoria. Proprio ergo, etsi lato, sensu vocari possunt celebratio matrimonii.

Item dicimus de sollemnitatibus liturgicis: « Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia praescriptis aut laudabilibus consuetudinibus recepti » (can. 1100). Unde ritus liturgici, etsi stricto sensu non constituant celebrationem juridicam matrimonii, ad illam directe pertinent et vocantur generaliter celebratio matrimonii; immo vulgus, non raro, hos ritus retinet veram et substantialem matrimonii celebrationem.

Idem dicendum est de sollemnitatibus quae matrimonium subsequuntur; ipsae pertinent ad rationem generalem celebrationis et sunt veluti epilogus seu naturalis conclusio celebrationis juridicae. Ipse enim Codex praecipit: « Celebrato matrimonio, parochus vel qui ejus vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium... » (can. 1103).

---

[80] AAS 30 (1941) 297-318.

60. In his sollemnitatibus non tantum vidimus lato sensu celebrationem matrimonii, sed ea distinguimus requisita quae constituere diximus celebrationem coram Ecclesia, idest *interventum publicum* Ecclesiae in fidelium matrimoniis.

1) In gradu praeparatorio: a) *Interventus* Ecclesiae satis patet, quia publicationes fieri debent a parocho proprio *nomine Ecclesiae* (can. 1023); fideles tenentur impedimenta revelare parocho vel loci Ordinario, idest Ecclesiae (can. 1027); unus Ordinarius proprius, idest Ecclesia potest dispensare a publicationibus (can. 1028); etc.

b) *Publicitas* pariter habetur, nam denuntiationes fieri debent *publice* a parocho (can. 1022), inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae *populus frequens* accedat (can. 1024), vel per *publicam* ad valvas Ecclesiae affixionem nominum contrahentium per saltem octo dies ex quibus duo dies festi de praecepto (can. 1025), etc.

2) In sollemnitatibus ipsam celebrationem concomitantibus, patet a) *interventus* Ecclesiae, quatenus ritus ponuntur a legitimis Ecclesiae ministris, et probari vel recipi debent ab Ecclesia (can. 1100);

b) *publicitas*, quatenus agitur de ritibus publicis, de benedictionibus sollemnibus, de sacrificio et cultu *publico* Ecclesiae (can. 1101 et can. 1256).

3) In momento ultimo, eodem modo patet: a) *interventus* Ecclesiae, quatenus instrumenta confici debent a parocho vel a quo ejus vices gerit (can. 1103) nomine Ecclesiae;

b) *publicitas* quatenus agitur de documento conficiendo *publico*, quod inter praecipua documenta publica ecclesiastica recensetur (can. 1813 § 1, 4°).

61. Hos publicos interventus Ecclesiae per has sollemnitates quae formam stricte non constituunt, putamus posse jure vocari, non improprio sensu, celebrationem matrimonii coram Ecclesia. Immo sub adspectu pastorali, proprius dicitur celebratum coram Ecclesia matrimonium contractum his omnibus observatis sollemnitatibus, omissa inculpabiliter forma, quam contractum cum forma canonica, omissis his ceteris sollemnitatibus. Hinc distingui posset celebratio juridica et celebratio pastoralis coram Ecclesia; utraque vero est canonica.

Momentum non minus maximo quod Ecclesia tribuit huic celebrationi pastorali patet jam, ut vidimus, ex dispositionibus Codicis; sed luce meridiana clarius apparet ex Instructione S. C. de Sacramentis d. 29 jun. 1941 « De normis a parocho servandis in

peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittat » [81], ubi regulae traduntur gravitate plenae quae ad processum administrativum praematrimonialem similitudine accedunt.

62. Unde celebrationi coram Ecclesia in sensu lato nullum vidimus deesse elementum de his quae verum conceptum celebrationis coram Ecclesia constituere supra num. 11 tradidimus.

VIII. AD MATRIMONIUM PUTATIVUM SUFFICIT CELEBRATIO CORAM ECCLESIA IN SENSU LATO.

63. Juxta responsum Pont. Commissionis ad canones Codicis authentice interpretandos *non requiritur* ad matrimonium putativum ut celebratum fuerit *forma canonica*, valida vel invalida, *sed* ut celebratum fuerit *coram Ecclesia*.

Vidimus celebrationem coram Ecclesia, in se ipsa consideratam, latius patere quam formam canonicam. In sensu stricto celebratio convenit seu coincidit in legislatione canonica cum forma valida; sed celebratio coram Ecclesia in sensu lato alias comprehendit sollemnitates, quibus positis, matrimonium dicitur celebratum coram Ecclesia, seu publice cum interventu Ecclesiae, etsi forma canonica inculpabiliter omissa fuerit.

Ex hoc tamen immediate non sequitur matrimonium celebratum omissa forma posse dici putativum, etsi posset dici celebratum coram Ecclesia sensu lato. Ostendere debemus ad matrimonium putativum non esse necessariam absolute celebrationem coram Ecclesia in sensu stricto, idest *non esse necessariam absolute formam canonicam*, sed *sufficere celebrationem coram Ecclesia in sensu lato*, quae obtineri potest, etiam omissa materialiter forma.

64. Primum dictum, omnes, implicite saltem, admittunt; nam concedunt matrimonium esse putativum si contractum fuit cum forma materialiter quidem, sed invalide, posita. Jam vero, ut supra diximus, in jure canonico idem est forma invalide posita quam omnino omissa. Non est ergo necessaria celebratio coram Ecclesia in sensu stricto quae requirit *veram* formam; sed sufficit celebratio in sensu lato, quae certe, quamvis non unice, obtinetur per formam invalide positam.

Alterum, scilicet, sufficere ad matrimonium putativum celebrationem coram Ecclesia in sensu lato, his rationibus probamus:

---

[81] *AAS* 30 (1941) 297-318.

65. 1. *Legitimatio prolis ex matrimonio putativo gaudet favore juris;* ideoque lata interpretatio adhibenda est.

Scribit enim cl. CAPPELLO: « Matrimonium putativum..... si consideretur in ordine ad nupturientem qui contraxit bona fide, ejus notio *late* accipienda est; *latissime* sumenda, si consideretur in ordine ad filios, quia jus canonicum mixime favet legitimitati sobolis » [82]. Idem constat ex illa celebri norma a Benedicto XIV tradita: « Judex debet in bonum et commoda prolis propensus esse » [83]. Cl. FEIJE, existimabat « quod enim legitima censeatur proles nata ex matrimonio invalido bona alterutrius saltem fide inito, merae id debetur benignitati Ecclesiae peculiariter ita indulgentis » [84].

Lex igitur de matrimonio putativo non subest strictae interpretationi (can. 19), sed cum favorem contineat et indulgentiam, amplianda est seu late interpretanda, juxta notam regulam antiquam: « *Odia restringi, et favores convenit ampliari* » [85].

Si vero matrimonio putativo convenit lata interpretatio, idem dicendum est de ejusdem elementis seu requisitis. Et quidem, ut supra num. 4 vidimus, bona fides *latissimam* interpretationem accipit, ita ut compatibilis sit cum ignorantia non solum facti sed et juris, immo cum dolo alterius partis. Qua ergo de causa celebratio coram Ecclesia stricte interpretanda est, ita ut comprehendat tantum formam canonicam et alias excludat sollemnitates et formalitates ad celebrationem pertinentes?

2. *Celebratio coram Ecclesia non amplius retinet post Codicem caracterem poenalem* quem antea clandestinitas habebat [86]. Unde ex hoc capite nihil obstat quominus late illud interpretemur elementum.

66. 3. *Nec Codex, nec Responsum Pont. Commissionis Interpretis aliquod excludit matrimonium invalidum a possibilitate conditionis putativae* ratione ipsius invaliditatis. Jam vero, si elementum « celebratio coram Ecclesia » stricte interpretamur, matrimonia invalida ratione formae exclusa essent a priori a beneficio matrimonii putativi et consequenter a beneficio legitimitatis prolis, non obstante bona fide contrahentium qui omnes formalitates, praeter formam materialiter sumptam, posuerunt publice coram Ecclesia.

---

[82] F. CAPPELLO, *De Sacramentis*, num. 746, 5, ed. 1950, pag. 730.

[83] BENEDICTUS XIV, *Epist. Redditae nobis* d. 5 dec. 1744; *Bullarium Benedicti XIV* tom. I p. 452 § 4.

[84] FEIJE, *De impedimentis et dispensationibus*, num. 264.

[85] In VI, *Regulae juris*, 15.

[86] Cfr. quae diximus supra num. 35.

Hoc esset nimis durum, contra traditionem matrimonii putativi et contra benignitatem et aequitatem Ecclesiae [87].

67. 4. *Argumenta proponimus a pari.* Post Concilium Tridentinum celebratio coram Ecclesia obtinebatur *et* per publicationes *et* per formam tridentinam. Codex disciplinam anteriorem de matrimonio putativo non inmutavit; subtulit tantum poenam clandestinitatis relate ad prolem. Doctrina tamen admittit, absque difficultate, matrimonium celebratum forma canonica, sed omissis etiam culpabiliter publicationibus, esse celebratum coram Ecclesia. A pari ergo, matrimonium celebratum praemissis publicationibus, idest cum interventu Ecclesiae, sed omissa forma, esset dicendum putativum [88], utpote celebratum lato sensu coram Ecclesia. Hoc matrimonium juxta disciplican innocentianam erat putativum.

5. Juxta auctores, matrimonium celebratum in casibus ordinariis forma invalida ex defectu testis qualificati, vel quia non est parochus, vel quia caret jurisdictione, etc., est vere celebratum coram Ecclesia ideoque potest esse putativum. Idem admittitur cum contrahitur assistente parocho, sed deficientibus testibus. A pari ergo dicendum esset, celebratum coram Ecclesia reputari matrimonium contractum coram duobus testibus, omisso parocho. Formae enim canonicae eodem modo ac jure necessarius est testis qualificatus, quam testis non qualificatus.

Ex alia parte, celebratio matrimonii coram solis testibus adnumeratur inter formas canonicas in casibus extraordinariis. Matrimonium ita contractum in casibus ordinariis, invalidum quidem est, sed speciem seu figuram habet formae canonicae. Si enim nupturientes, saltem unus, putarent bona fide illam esse formam adhi-

---

[87] De hoc argumento abundantius diximus supra num. 38 ss. cum Sánchez, Massimi et aliis. Inde tamen non sequitur matrimonium *mere civile catholicorum* posse esse putativum sic et simpliciter. Requirit celebratio coram Ecclesia ut matrimonium contrahatur publice, Ecclesia sciente et interveniente, idest ut illae rite ponantur sollemnitates quae positivam voluntatem suadeant contrahendi coram Ecclesia, etsi postea, materialiter et bona fide, forma omissa vel invalide posita fuerit. Jam vero catholicus qui bona vel mala fide matrimonium canonicum contrahere non intendit, sed mere civile, evidenter non contrahit coram Ecclesia, et ejus matrimonium non potest esse putaticum. Idem dicimus de catholico qui objective invenitur in circumstantiis can. 1098, sed nullo modo cogitat de matrimonio canonico, contrahere intendens matrimonium tantum civile prout a Statu proponitur; hic non contrahit coram Ecclesia, nec ejus matrimonium potest esse putativum.

[88] Hic addere non possumus « omissa etiam culpabiliter forma », quia tunc deficeret bona fides relate ad nullitatem matrimonii; ideo matrimonium non esset putativum ex defectu, non celebrationis coram Ecclesia, sed bonae fidei.

bendam in casu, matrimonium celebratum esset coram Ecclesia ideoque, ex hoc capite, putativum.

Jam vero, matrimonium apud omnes gentes celebratur coram testibus. Ergo conclusio esset: matrimonium catholicorum semper est putativum ratione celebrationis coram Ecclesia, quia semper contrahitur cum specie seu figura formae canonicae, quae species seu figura formae in hoc consistit quod forma extraordinaria adhibetur loco formae ordinariae.

68. Haec conclusio, ni fallor, logica est ad apicem principiorum quae ab opinione communi ponuntur. Catholicus qui civiliter coram solis testibus contrahit, contrahit quidem invalide quia formam adhibet extraordinariam in casu ordinario, sed adhibet speciem seu figuram formae canonicae quia, si in circumstantiis can. 1098 versaretur, matrimonium ratione formae esset validum. Ideo ejus matrimonium dicendum esset celebratum coram Ecclesia [89].

Vera solutio invenitur non in doctrina de forma vel saltem specie formae ponenda, quae ad indicatas ducit inadmissibiles consequentias, sed in facto interventus Ecclesiae vel minus in illius matrimonii contractu. Si nupturientes, nec unus quidem, cogitarunt de matrimonio canonico contrahendo et inire intendebant matrimonium tantum civile deque ea constat externe voluntate, eorum matrimonium, etsi ratione formae posset esse validum quia versabantur in objectivis circumstantiis can. 1098, nullo modo, in casu nullitatis ex alio capite, posset esse putativum ex defectu celebrationis coram Ecclesia. Non praesumitur Ecclesia tribuere beneficia iis qui positive ab Ecclesia abstrahunt et ejus autoritatem et interventum in tanto negotio excludunt [90].

Pater ergo necessitas adhibendi interpretationem latam elementi celebrationis coram Eccelsia.

---

[89] Cl. L. Bender, *Filiae legitimitas ratione matrimonii putativi*, in *Monitor Ecclesiasticus* 1960 p. 141-150, ut hoc absurdum devitet, recurrit ad huic matrimonio negandam conditionem « invalidi ». Non est putativum, quia non est invalidum. Supra diximus quid dicendum de distinctione inter matrimonium nullum et matrimonium non-existens. Eodem jure non diceretur invalidum, ideoque nunquam posset esse putativum, matrimonium nullum ob defectum consensus. Nulla adsit ratio hanc interpretationem restrictam adhibendi in materia matrimonii putativi.

[90] Sánchez, dissertans de matrimonio clandestino, similem inducit rationem: « ...matrimonium clandestinum valde offendit ecclesiam, eamque contemnit: unde non mirum si ei non faveat, suumque ei deneget auxilium. Frustra enim auxilium ecclesiae implorat, qui ejus contempsit authoritatem... » Sánchez, *De sancto matrimonii sacramento*, tom. I, lib. 3, disp. 52, num. 2.

69. *Eadem ratio confirmatur.* In matrimonio nullo ratione formae invalide positae, ad hoc ut possit esse putativum, requiritur, et sufficit, bona fides circa nullitatem ob invalidam formam. Eodem ergo jure et ratione, requiritur, et sufficit, bona fides circa nullitatem matrimonii ob omissionem formae, si aliunde constat de interventu Ecclesiae.

70. *Ex ratione legis.* Celebratio coram Ecclesia requiritur ut melius bona fides publica obtineatur, et melius detegantur capita nullitatum, praesertim vero impedimenta. Si, non obstante diligentia adhibita, matrimonium est invalidum, Ecclesia, propter bonam fidem unius saltem contrahentium, praemium tribuit legitimitatis prolis ex illo matrimonio ortae.

Sed haec legis ratio melius obtinetur per celebrationem coram Ecclesia lato sensu sumptam, quam per eandem in sensu stricto, « quia indubitanter, arguit cl. Sánchez, efficacius medium est, ut impedimenta detegantur, publicare matrimonium contrahendum ter in ecclesia, aut in aliis locis publicis, inter Missarum solemnia, quam contrahere secreto coram parocho et duplici teste » [91].

71. *Ex autoritate.* Hoc argumentum in casu nostro valde infirmum est. Interpretationem nempe quam propugnamus, quaeque requirit *semper* celebrationem coram Ecclesia, sed admittit sufficere celebrationem in sensu lato, non inveni propositam ab auctoribus. Nonnulli tamen illam subscriberent, quia arguere licet interpretationem latam admittere illos auctores qui in casibus particularibus interpretationem *latissimam* proponunt.

Ita v. gr. Coronata scribit post responsum Commissionis Interpretis d. 26 jan. 1949: « Nec repugnat matrimonium putativum in aliquo casu considerari posse etiam matrimonium a catholico coram ministro acatholico celebratum, si ex ignorantia catholici possit judicium pro ejusdem bona fide efformari » [92]. Admittit ergo cl. auctor possibilitatem matrimonii putativi omissa forma canonica. Hoc idem in casu proposito admitterem, si aliunde constaret de interventu Ecclesiae in praeparatione illius matrimonii; alioquin non video qua de causa et ratione possit dici celebratum coram Ecclesia catholica, de qua evidenter agitur.

Cl. Cappello quaerit ac solvit: « Si catholicus quidam, maxima laborans ignorantia circa praecepta Dei et Ecclesiae, celebret matrimonium civile aut coram ministro haeretico vel schismatico, existimans illud esse verum matrimonium, potestne dici putativum? Per se, negative; nam ignorantia legis non praesumitur ad normam

---

[91] Sánchez, *op. et loc. cit.* num. 6.

[92] M.C. a Coronata, *De matrimonio* 3, num. 607; ed. 1957 p. 849.

can. 16 § 2; per accidens, nimirum *si* et *quatenus* probetur bona fides, matrimonium potest esse putativum. Qua norma servata plures alii casus in praxi apte resolvi possunt »[93]. Hanc solutionem, prout sonat, non admitterem, quia bona fides *publica*, quae per celebrationem coram Ecclesia obtinetur, semper necessaria est juxta responsum Pont. Commissionis Interpretis. Admitto tamen possiblitatem matrimonii putativi omissa materialiter forma, si aliunde constat de interventu Ecclesiae in illo matrimonio [94].

IX. - NONNULLI CASUS PROPONUNTUR DE CELEBRATIONE CORAM ECCLESIA.

72. Ut quaestiones agitatae clarius meliusque pateant, nonnullos proponimus casus in quibus negatur vel affirmatur conditio matrimonii putativi ex elemento celebrationis coram Ecclesia. Omnes personae in sequentibus casibus propositae sunt catholicae, nisi contrarium notetur.

1. Marius, abstrahens *bona fide* ab omnibus dispositionibus Ecclesiae nihilque cogitans de matrimonio contrahendo religioso, contrahit mere civiliter in circumstantiis ordinariis. Ejus matrimonium nequit esse putativum.

2. Titius contrahere vult matrimonium conscientiae de quo in can. 1104-1107; omnes juris praescriptiones observatae sunt; sed, de consilio parochi, canones pessime interpretantis, contrahit in sacello coram solo sacerdote contrahentibus ignoto. Matrimonium est putativum, quia celebratum est coram Ecclesia, parocho scilicet, nomine Ecclesiae, interveniente.

3. Cajus contrahere fingit cum Sempronia. Adeunt parochum, qui partes diligenter examinat, trinas publicationes perficit omniaque alia de jure absolvit. Banris feliciter superatis, Cajus agit cum Sempronia *de matrimonio celebrando* die prima mensis julii. Idem Cajus agit cum parocho *de sponsalitiis celebrandis* die prima mensis julii. Parochus Semproniam Cajo despondet, pompa adhibita liturgica et canonica cum scriptura subsignata ad normam can. 1017. Sempronia, putans bona fide ob sollemnitates adhibitas,

---

[93] Cappello, *De matrimonio* 6, num. 746, 4; ed. 1950, p. 730.

[94] Cl. P. Fedele, logice adnumerandus esset inter auctores interpretationem a nobis propositam admittentes, sed, critica exposita contra necessitatem absolutam formae canonicae ad matrimonium putativum, opinionem communem admittere videtur post responsum Pont. Commissionis Interpretis d. 26 jan. 1949. Cfr. P. Fedele, *A proposito di una recente innovazione in tema di matrimonio putativo*, in *Eph. juris canonici* 6 (1950) 214-220.

verum matrimonium fuisse celebratum, coitum habet cum Cajo, ex quo sequitur proles, quae legitima reputanda est, utpote ex matrimonio putativo suscepta, etsi forma totaliter fuerit omissa.

4. Marcellus, postquam omnia praematrimonialia acta: examen, denuntiationes, etc. ad normam juris peracta sunt, contrahit civiliter cum Caja, leges civiles obtemperans quae praecipiunt matrimonium civile praecedere debere canonicum. Marcellus tamen, dolose suadet Cajam sufficere ad ceteras absolvendas formalitates canonicas, se sistere coram parocho, eique notum facere matrimonium contractum civile, et illud annotare in libro matrimoniorum Ecclesiae; ratio adducta: matrimonium bis contrahi non posse sollemniter. Marcellus et Caja parochum adeunt ut matrimonium perficiant; sed parochus extra civitatem erat (Marcellus absentiam sciebat, et dolose procedebat; non tamen Caja quae optima fide omnia legitima putabat). Marcellus iterum suadet Cajam has sollemnitates nullius momenti esse eo quod matrimonium jam contractum erat. Quapropter iter arripiunt nuptiale; sed Caja curatori Sacristiae enixe commendat ut parochum advertat de contracto matrimonio, de itinere, etc. neque ejus voluntate ad eum redeundi, itinere absoluto.

Duobus mensibus transactis, Caja se sistit coram parocho et facta exponit; parochus tamen sententiat matrimonium fuisse nullum ideoque denuo contrahendum. Insequenti die Caja rediit ad parochum, dicens Marcellum nec verbum audire velle de matrimonio canonico, et gemens addit: « sed... prolem jam concepit ».

Matrimonium in casu dicerem celebratum coram Ecclesia.

5. Antonius agit cum parocho de matrimonio contrahendo cum Titia omnino secreto et exponit necessitatem obtinendi dispensationem a quodam impedimento et a forma canonica. Parochus redigit petitionem quam ipse Antonius fert personaliter ad Curiam. Post aliquos dies redit ad parochum cum documento dispensationis ab Ordinario signato. Vi hujus documenti matrimonium contrahitur coram solis parentibus in cubiculo Titiae aegrotantis. Post plurimos annos, Antonius graviter aegrotans, revelat documentum dispensationis a forma fuisse falsum ideoque dispensationem nullam. Titia in bona fide erat.

Matrimonium est putativum ob interventum Ecclesiae in persona parochi et ope dispensationis in casu particulari.

6. Matrimonia mixta inter partem catholicam et partem acatholicam, obtenta dispensatione ab impedimento, praestitis cautionibus canonicis, sed celebrata cum assistentia *mere passiva* parochi contra praescriptum can. 1102, putativa dicerem, quia, non ob-

stante omissione formae, celebrata sunt coram Ecclesia, idest Ecclesia sciente et interveniente.

Et ita porro.

X. - CONCLUSIO. REGULAE GENERALES.

72. Ut tandem finem huic disquisitioni imponamus, nonnullas tradimus regulas ad modum conclusionum.

73. Matrimonium celebratum est coram Ecclesia, ideoque ex hoc capite posset putativum esse:

1. Cum contrahitur adhibita forma canonica legitima, ordinaria vel extraordinaria juxta casus.

2. Cum contrahitur adhibita forma canonica invalida in casu,

- vel quia adhibita fuit forma extraordinaria in casibus ordinariis;

- vel quia forma ordinaria, aut extraordinaria, juxta casus legitime adhibita, uno vel pluribus carebat elementis seu requisitis ad validitatem formae.

3. Cum contrahitur omissa forma ex legitima dispensatione.

4. Cum contrahitur omissa forma ex dispensatione invalida.

5. Cum contrahitur omissa forma absque dispensatione, sed quae sequuntur dantur *simul* conditiones:

- si partes, saltem una, matrimonium contrahere intendebat canonicum seu coram Ecclesia deque constat externe sincera voluntate ad normam juris;

- si partes, saltem una, in ordinariis circumstantiis, voluntate contrahendi coram Ecclesia motae, ea perficerent coram auctoritate ecclesiastica, quae perfici debent ante matrimonium: examen, interrogatoria, publicationes, documenta, etc.; idest si omnia sub adspectu canonico parata erant ad nuptias;

- si omissio formae bona fide facta fuit, idest si omissio non est moraliter imputabilis contrahentibus, saltem utroque;

- si matrimonii celebratio publica fuerit, idest si probari possit in foro externo.

74. Generaliorem regulam tradimus et hoc statuimus principium: Matrimonium dicitur celebratum coram Ecclesia, quoties constat de positiva voluntate, externe manifestata, partium, unius saltem, contrahendi matrimonium canonicum eaque omnia posita fuerint quae a jure requiruntur aut ante, aut durante, aut post celebrationem matrimonii, etsi de facto forma canonica, ob causam voluntati contrahentium, unius saltem, moraliter non imputabilem, aut omissa, aut invalide posita fuerit.

Xaverius Ochoa, C. M. F.

UMANITA' E SPIRITUALITA' NEI DOCUMENTI AGIOGRAFICI

Argomento di questa esposizione non è la realtà oggettiva quale risulta dai documenti, studiati secondo le norme della metodologia storica, ma il valore umano che dobbiamo scoprire in essi, perchè concorrano alla rappresentazione animata e concreta del personaggio scelto per tema del nostro lavoro.

Noi, cioè, presupponiamo l'uso adeguato di quelle discipline che riguardano la scrupolosa ricerca ed analisi delle fonti e il loro vaglio critico che scevra il vero dal falso, il certo dall'incerto, dal probabile e dalla semplice congettura. Proprio quando ogni documento è stato inventariato e classificato secondo il grado di certezza assoluta e relativa, quando tutto il materiale è stato collocato lungo una traiettoria di tempo che va dalla culla alla tomba, quando, secondo una certa opinione volgata, l'agiografo avrebbe ormai esaurito il suo compito, proprio allora, invece egli deve affrontare la sua impresa e il suo rischio maggiore. Finora egli sarà stato un erudito, uno scopritore più o meno abile e fortunato, ora dovrà dimostrare di essere uno storico; cioè dovrà ripensare mentalmente il materiale raccolto, penetrato nella sua essenza e nei suoi nessi causali e rapportarlo ad unità, compiendo quella sintesi vitale che segna il passaggio dalla cronaca alla storia, dalla fredda erudizione all'organicità creativa; egli, insomma, dovrà divenire un costruttore che dalla confusa congerie di calce, ferro, cemento gettati in cantiere, sa trarre l'opera architettonica che respira nello spazio.

A) L'UMANITÀ DELL'AGIOGRAFO.

Vorrei insistere su questo concetto che considero basilare: a mio giudizio, l'agiografo può essere paragonato a un valente restauratore, costretto a frugare tra ogni sorta di detriti per riportare alla luce un capolavoro distrutto: eccolo raccogliere con cura gelosa ogni frammento prezioso; eccolo ripulirlo, soppesarlo e adagiarlo su un piano orizzontale. Ultimata la sua paziente indagine, recuperati i singoli pezzi, egli comincia a muoverli secondo una visione d'insieme, coordinando i passaggi, dosando le tonalità e le masse, seguendo come guida il ricordo del modello scomparso e il suo talento d'artista. Solo allora avrà completata la sua fatica, quando avrà riprodotta tutta la potenza dell'originale.

E' un paragone che zoppica come tutti i paragoni di questo mondo, perchè il restauratore segue modelli inanimati e norme più o meno meccaniche, mentre l'agiografo è costretto ad inseguire le fragili parvenze di un capolavoro che fu animato dalla presenza abituale ed operante di Dio e che scomparve senza lasciare altra traccia che i ricordi orali e la gamma molteplice di sentimenti e d'interessi contrastanti, depositati negli scritti. In tali frangenti, egli deve fare leva non solo sulla sua tenacia di studioso, ma, forse più, sul suo intuito personale di uomini e cose che lo porta a cogliere, quasi per istinto, la realtà segreta dei fatti e le forze ideali che da essi si sprigionano. E' quello che chiamiamo: il senso storico, una qualità innata, ma rafforzata dai lunghi studi, che accompagna i cultori di tale materia nelle diverse tappe del loro lavoro, imprimendovi i segni indelebili della propria attività. Perciò in ogni storia (a meno che non si tratti, per dirla col Croce, di storia disumanata, quindi, non di storia, ma di cimitero di morti documenti) è reperibile la partecipazione dello storico che la pensa e le infonde il proprio colorito spirituale.

Lo confessava di se stesso il Mauriac nella prefazione al suo « Racine », attribuendo alle proprie qualità soggettive non solo la responsabilità di condurre l'argomento, ma perfino la responsabilità d'aver scelto un tale argomento: « Un autore, egli dice, non si decide a scrivere una biografia tra mille, se non perchè si sente in sintonia col modello prescelto... Per tentare di accostarsi a un personaggio scomparso da secoli, la via migliore deve sempre passare attraverso la propria anima ». E Chesterton, rincarando la dose col suo stile paradossale, così dice a proposito della biografia di Browning che aveva finito allora allora di scrivere: « Vi sono in questo libro pochissimi dati puramente biografici e questi pochissimi dati sono quasi tutti inesatti. Una cosa però è nascosta in qualche parte di questo libro: ma temo che questa cosa sia piuttosto la mia fanciullezza e non quella di Browning ».

Sono paradossi, d'accordo, ma saremmo ingiusti se non vedessimo la parte di verità che contengono. La storia non può prescindere dallo storico; l'agiografia dell'agiografo. Questa umana partecipazione è insignificante nella prima parte del lavoro: l'euristica; si afferma risolutamente nella seconda: la critica che discute e collaziona i documenti; diviene prepotente nella terza: la sintesi. E' qui, nella fase culminante e conclusiva, che l'umanità dello scrittore giuoca il suo ruolo più importante. Lo comprenderemo meglio quando avremo considerato le finalità da lui perseguite.

B) UMANITÀ DEI SUOI IDEALI.

Che cosa si propone l'agiografo? La ricostruzione di una personalità; ridarci, cioè, un essere vivente con la sua intelligenza, la sua volontà, i suoi sentimenti, la sua fisionomia interna ed esterna, quel non so che di singolare e di irrepetibile che lo distingue dagli altri; tutto quel mondo, insomma, di energie segrete che si tradussero in velleità e propositi, in azioni e reazioni, fornendoci la chiave di volta per spiegarci la sua vita esterna con quei successi ed insuccessi, con quelle umiliazioni e vittorie che a prima vista sembravano assurdi. Ma dove trovare questa chiave di volta? Purtroppo non ci sono gli archivi delle personalità e, anche se ci fossero, non presenterebbero una faccia unica di una realtà ben solida. Le personalità non sono definibili con linee nette e decise: hanno l'aspetto cangiante dell'arcobaleno; sono fatte di tinte, sfumature, mezzi toni. Mai emergono tutte intere da un'azione. Bisogna rintracciarle a sprazzi attraverso un gesto, una cadenza della parola, una inflessione del sentimento, un inciso dialogico sfuggito ai freni inibitori della volontà; bisogna rintracciarle, specialmente, nelle pieghe di una lettera confidenziale, nello sfogo lirico che interrompe l'arida esposizione di un concetto scientifico, in certe asistematicità di usi e di orari, in certi impeti di passioni mal represse di cui troviamo gli echi nelle testimonianze ingenue di qualche contemporaneo che non fu mosso dal servilismo o dalla paura, dall'amore o dall'odio. Non bisognerà spaventarci di fronte ad eventuali divergenze nei particolari, quando possiamo arrivare a cogliere i lineamenti generali di una figura; essa sarà meno calligrafica, ma più marcata e sicura. Salta però subito agli occhi la difficoltà dell'impresa e la parte rivendicata dalla sensibilità, dalla perspicacia, e, diciamo pure la parola, dalla fantasia dell'agiografo. Ma è una sensibilità non umbratile e capricciosa, perchè sarà mossa dalla presenza di un oggetto concreto; è una perspicacia che sarà affinata dal lungo studio dell'argomento; è una fantasia che non sarà chiamata a spaziare tra le nuvole, perchè costretta a scorrere sui ferrei binari dei documenti esaminati. « Per un giorno di sintesi, — diceva Fustel de Coulanges —, occorrono anni di analisi ». Il risultato non sarà sempre pacifico per tutti; ci sarà sempre posto per altre visioni, anche divergenti dalla prima e le nuove visioni saranno esse pure esatte, se frutto di analisi accurate. Così, tutti possono essere condotti, attraverso gli stessi documenti, a penetrare la stessa umanità, a riscoprirla ciascuno per conto proprio, ad arricchirla attraverso nuove prospettive, con immenso vantaggio dei lettori che si trovano davanti non i soliti residuati da musei,

ma una figura viva, palpitante, ricostruita proprio nel corso della loro lettura, una figura che parla il loro stesso linguaggio ed è mossa dai loro stessi ideali. La storia non è mai fatta, ma sempre da rifarsi.

C) UMANITÀ NELLE VARIE OPERAZIONI DELLA SINTESI STORICA.

Tale ricostruzione però è il termine finale di una serie di operazioni successive che si svolgono l'una dall'altra, impegnando contemporaneamente la pazienza dello scienziato e l'intuito felice dell'artista-filosofo. Analizziamo brevemente queste varie operazioni della sintesi.

1) *Intuizione della personalità.*

Si comincia, sempre a mio giudizio, con una prima intuizione sommaria della personalità che dobbiamo definire. Ne risulta uno schizzo tratteggiato a grossi colpi di lapis, quale ci si presenta da una prima intelligente lettura dei documenti. Tale embrione di essere vivente verrà, a mano a mano, sviluppando la sua fisonomia e precisando il suo carattere.

2) *La personalità nel suo mondo storico.*

Poi egli si costruirà il suo spazio vitale, cioè quel clima e quell'ambiente in cui riversò le sue energie e da cui confluirono su di lui, per una specie di osmosi, tutti quegli influssi di pensieri e di sentimenti che assorbì o respinse ma, comunque, non lo lasciarono indifferente. E' un lavoro, direi così, di dosaggio: si tratta, cioè, di stabilire la esatta misura del dare e dell'avere tra il santo e il suo orizzonte storico, e, secondo questa misura, chiamare il tempo e l'ambiente come fattori della sua storia, senza lasciarsi fuorviare dal prurito delle divagazioni erudite. E' il personaggio che deve restare al centro del quadro; non il panorama che gli serve da sfondo e, molto meno, la cornice, anche se preziosa. Sfondo e cornice debbono avere la sola funzione di mettere in risalto la figura senza distrarre l'attenzione dello spettatore.

3) *Unità genetica dell'insieme.*

Il terzo atto della sintesi è di una importanza veramente eccezionale; noi abbiamo da una parte l'attore appena appena sbozzato e la scena che fu teatro della sua attività; dall'altra parte, noi abbiamo conosciuto, attraverso i documenti, tutte le azioni

compiute dal nostro attore dalla nascita alla morte. Queste azioni sono sue, sono lui, membra viventi, organiche, della sua personalità. Esse non possono, quindi, restare là, disossate, come anelli spezzati di una catena, nè possono accostarsi cronisticamente l'una all'altra: sarebbe la morte. Debbono trovare una spina dorsale che le sorregga; che le raccolga ad unità; che le articoli nello spazio. E l'unità deve essere viva e dinamica; una unità che si costruisce non per giustapposizione meccanica, ma per propulsione interna; che sia, cioè, generatrice del suo pieno sviluppo. Nessun momento è isolato nella vita; nessun atto è senza connessione di causa e di effetto col tutto da cui dipende e di cui sollecita il perfezionamento. Tutto si diparte da un'anima e tutto ritorna al suo arricchimento interiore e ogni conquista prepara ulteriori conquiste, già incluse potenzialmente nella prima. Ma questa linea di perpetuo sviluppo non è affidata al capriccio; anzi segue una sua logica interna che si mantiene costante dall'infanzia alla morte. Chi sa afferrare questa logica, ha trovato quel filo di Arianna che riconduce ogni episodio e fatto marginale al corso fluente della storia; ha ritrovato ancora quei filoni causali che ricollegano gli episodi tra loro.

Siamo, come si vede, nel campo del pensiero e della filosofia, ma la speculazione si esercita su un soggetto determinato. E' la luce della ragione che si sforza di penetrare i documenti e di rendersi conto dei segreti di un'esistenza; si scoprono così dei nessi causali d'interdipendenza tra fatti anche lontani nel tempo; si rende esplicito ciò che era soltanto implicito; si rintracciano nell'infanzia quei germi che esploderanno nell'età matura; si operano incursioni ideali nel futuro e scorribande nel passato per inseguire tutte le propagini di una tendenza, o di una passione; si vivisezionano i diversi aspetti di una personalità poliedrica che poi si ricompongono in una unità sempre più ricca e complessa, come è ricca e complessa la realtà dei valori umani informati dal divino.

4) *Unità di umano e di divino.*

Umano e divino vanno congiunti nel santo, senza trascurare nessuno dei due elementi a vantaggio dell'altro. Prima l'umano dove si rivela il divino. L'umano nel senso integrale del termine, non esclusa la sua fisonomia esterna, se è significativa di quella interna; non esclusi i difetti, le passioni, i peccati, anche i peccati, perchè il fuoco della santità si alimenta, al dire del LAVELLE, (cfr. *Quattro Santi,* pag. 17) dei materiali più impuri e spesso la loro fiamma al vertice sprigiona più luce. Ma questa luce arde sotto uno schermo abbastanza opaco per sfuggire all'attenzione del pas-

sante distratto, perchè niente è più comune della vita del santo. La sua vita somiglia alla vita di tutti gli uomini, con molte delle loro debolezze, lati ridicoli ed errori, e, per di più, tali difetti egli non li dissimula, come li dissimulano gli altri. Non vi pensa neppure, contento delle umiliazioni che gliene derivano.

Ma, d'altra parte, sarebbe assurdo credere che il santo sia santo solo a motivo dei suoi lati ridicoli, senza vedere in lui il riflesso della luce divina. E' quanto avviene in certe agiografie, anche di autori di vaglia, ridotte a una aneddotica spicciola, in cui scoppietta la vivacità di un dialogo, o si dipinge il gesto goffo di un Calandrino sprovveduto, gongolante tra le busse e le ingiurie. Questi scrittori si arrestano alla corteccia e non avvertono la linfa divina che scorre sotto di essa, quella presenza dello Spirito che proietta il santo al confine tra i due mondi: il visibile e l'invisibile. Diciamo: non avvertono, perchè la presenza di tale realtà non può essere dimostrata direttamente con argomenti attinti dalla nostra intelligenza; la possiamo solo avvertire, cioè, intuire, sentire, arguire in qualche modo dalla grandiosità degli effetti che sorpassano l'umiltà delle loro origini; o da quel levitare dell'umano verso le frontiere della trascendenza, senza nulla togliergli del suo peso terrestre. Perchè questo è il mistero della santità: una perfezione che arricchisce l'anima e le sue facoltà nella linea dell'essere e dell'agire soprannaturale, lasciando impregiudicate le qualità umane, anche mediocri, di chi ne è investito. Da ciò se ne deduce che sarebbe errata ogni visione unilaterale che cerchi di spezzare il consorzio tra l'umano e il divino, mentre la santità non è che l'umano permeato dal divino.

5) *L'umano a servizio del divino.*

Primo elemento è l'umano, perchè il santo appartiene principalmente alla terra, ed è solo attraverso la terra che si riverbera il cielo; ma l'umano acquista tutto il suo valore di eterno solo in relazione al divino. E' chiaro, perciò, che l'agiografo debba rispettare questa legge, ponendo l'umano al primo piano di ogni santità; l'umano di ogni giorno, non l'umano dei tre o quattro episodi straordinari di una vita, l'umano del ritmo affannoso, sfibrante e monotono di tutte le ore, di tutti i minuti, quell'umano che è stato chiamato, a ragione, il tragico quotidiano, perchè capace di allivellare ogni grandezza e far disperare i più deboli. E' qui, in questa trama che mozza il respiro, che va cercato il meglio di ogni santità, facendo notare come l'eroe cristiano abbia resistito alla prova, come l'abbia superata, felice di trovarsi dove lo chiamava

la propria missione di sacerdote, di operaio, di madre, vivendo con gioiosa umile fiducia, il suo presente e dandogli un'anima e un sapore di eterno.

E' questa quotidianità la migliore crocifissione di se stesso, più che i cilizi e le discipline che, pure, colpiscono maggiormente la fantasia dei comuni lettori. Tali macerazioni costituivano ieri il boccone ghiotto di ogni agiografo che si esercitava a metterne in evidenza le punte più crude e disumane. Oggi, esagerando come ieri, si preferisce sorvolare tale argomento, ma meglio sarebbe, a mio giudizio, inquadrarlo nell'esercizio del proprio dovere d'ogni giorno, ed esaltarlo, non nell'aspetto negativo e repellente, ma in quell'aspetto positivo che lo subordina alla nostra vivificazione in Cristo, perchè sia distrutto ciò che inceppa l'amore: « Si restringano gli spazi della carne, come dice S. Agostino, per dilatare gli spazi della carità ».

6) *Il divino a servizio del corpo mistico di Cristo.*

Ma questa carità che anima lo sforzo umano del santo e trasfigura la sua pena e il suo lavoro, va considerata come un contributo alla costruzione del corpo mistico di Cristo, cioè, a vantaggio di tutti noi. « Grazie alla sua vita in comunione con Dio, egli (il santo) è il solo uomo il quale viva in comunione con noi, mentre tutti gli altri, in una certa misura, restano da noi separati » (Lavelle, *Quattro Santi*, pag. *16*) Perchè in comunione con noi e in comunione con Dio, il santo attira su di noi, le benedizioni del cielo. Ecco la genesi del suo potere di operare prodigi. I prodigi non sono una curiosità, un lusso, uno sfoggio del soprannaturale: sono un servizio a beneficio dei fratelli e come tali vanno inseriti nel tessuto del nostro racconto, sfrondando con saggia critica ogni superfetazione della fantasia, respingendo con giusta severità quanto non è suffragato da documenti ineccepibili sotto ogni punto di vista.

7) *La legge della perfettibilità.*

E da ogni clamore esterno l'agiografo deve risalire sempre all'interno, dove sgorga la sorgente di questo potere divino, dove è nascosto il fluire della grazia nell'anima del giusto. Noi scorgiamo direttamente solo gli effetti di questa fonte segreta; notiamo, cioè, le energie che si propagano in cerchi concentrici sempre più vasti fino ad abbracciare tutti i fratelli in un anelito di comprensione sovrumana; ma da tutto ciò dobbiamo arguire, per via indiretta, che nella proporzione in cui si moltiplicano gli effetti, dovrà pure moltiplicarsi la causa di essi, cioè quella partecipazione di carità che si

dilata di giorno in giorno, nei segreti di Dio, prendendo le sue misure sulla misura stessa del Cuore di Cristo, per raggiungere con la morte il suo pieno sviluppo. Fino a quel giorno, nessun uomo merita il nome di santo, perchè fino a quel giorno non ha ancora conquistato l'aspetto definitivo che può ricevere solo dalla morte, perchè fino a quel giorno egli è in lotta con se stesso, per fare delle sue passioni l'elemento dialettico delle proprie ascensioni.

L'agiografo deve ricordarsene per non incorrere nell'errore, comune a molte biografie, di proporci un modello inimitabile, un uomo santo fin dalla nascita, che fin d'allora ha già superati tutti i contrasti interiori, perchè chiuso nella torre d'avorio delle sue virtù, acquisite col battesimo. Tale modello resta senza mordente sul mondo contemporaneo, più che mai bisognoso d'una mano amica che lo incoraggi nella lotta.

Niente invece è più appassionante della vera storia dei santi con la loro volontà sempre tesa verso qualche cosa di eroico, coi loro drammi personali che sfociano in mille episodi imprevisti, che scoppiano in contrasti di amore e di odio, mentre lo sfondo si colora con la suggestione del mistero che appare e dispare nei loro gesti e nelle loro parole.

E niente è più istruttivo per noi, perchè ogni santo è per noi una guida che ci mostra, come dice il Lavelle, più che la sua, la nostra via. Ci mostra, cioè quello che ciascuno di noi può fare di sè stesso, quando si pone in relazione assoluta con Dio. (*Ibid.* pag. 32-33).

P. Nicola Ferrante C. SS. R.

BIBLIOGRAFIA

Per una propedeutica generale sull'argomento: Giovanni Soranzo - *Avviamento agli studi storici* - Milano 1950.

Per la Biografia in generale: Lèon E. Halkin - *Initiation a la critique historique* - Paris 1953: vedere il capitolo sulla biografia a pag. 63 e segg.

Per l'agiografia in particolare: Renè Aigrain - *L'hagiographie: Sources Mèthodes Histoire.* Blond et Gay. 1953.

Per l'arte espositiva vedere due interessanti articoli di Michel Carrouges: *Le scandale de l'hagiographie in: La vie spirituelle* anno 1950 pag. 307 e - *L'avenir de l'hagiographie* in *La Maison - Dieu* anno 1957 - 52 pag. 121.

Per il mistero della santità: L. Lavelle - *Quattro Santi,* Brescia 1953.

Per l'umanesimo nella santità: *Umanesimo e Grazia,* Milano 1959.

Interessante anche: *Il valore divino dell'umano di Jesus Urteaga Loidi* - Roma 1954.

RECENSIONES
ET
DOCUMENTA

RECENSIONES

PELLEGRINI GERMANUS-JOSEPH, C. P. - *De affinitate in iure canonico*, Romae, Marietti, 1960 (pagg. 233).

Affinitatis institutum, quod per se perantiquam condicionem subiit progredientium temporum magis quam consimilia instituta iuris matrimonialis, noviter propositum est iuristis decreto edito die 16 ianuarii 1957 a S. Sacra Congregatione S. Officii, quae dubium solvens an affinitas, in infidelitate contracta, impedimentum evadat pro matrimoniis, quae ineantur post baptismum, « affirmative » respondit, ideoque censuit affinitatem procedere ex quovis matrimonio valido, sive inter fideles sive inter infideles inito, salva uti patet necessitate baptismi hoc altero casu ut impedimentum exsurgat.

Responsionem commentati sunt auctores praeclari nominis, quos inter recensendi OESTERLE, *Adnotationes*, (*Monit. eccl.* 1957, p. 51). OCHOA, *De affinitate in infidelitate contracta* (*Comm. pro relig.* 1957, pp. 153 et 235) et, quamvis brevi glossa, TOCANEL, *Annotationes* (*Apollinaris* 1957, p. 14); qui tamen utpote scribentes illico post editum decretum, limites meae explanationis, cui operam dabant, consulto praetergressi non sunt.

Optabile erat ideo ut integra affinitatis res retractaretur, et sub luce novae authenticae interpretationis et ut recognitio status doctrinae post novas a romanistis peractas investigationes (GUARINO, *Affinitas*, 1939) et post quam canonistae, incertis principiis forsitan cohibiti, de re per aliquot lustra siluerant.

Bene hoc de munere meritus, nunc prof. G. - J. Pellegrini egregium opus hoc edit, quo aptis dogmatico, historico, critico subsidiis, magno apparatu bibliographico, studiosa investigatione fontium et auctorum, systematice doctrinam cunctam affinitatis exponit componitque.

In prima operis parte consideratur affinitas iuris romani quoad historicam evolutionem (vi cuius aetate classica solummodo ex iustis nuptiis, aetate iustinianea ex sponsalibus oriebatur), quoad notionem dogmaticam, quoad effectus.

In secunda parte exponitur doctrina affinitatis secundum ius canonicum vetus, ab aetate Patrum usque ad Codicem editum: revera mutationes apparent non solum continuae, sed etiam magni momenti, praesertim ob dilapsam media aetate notionem nuptiarum nudo consensu ineundas, ita ut dici forsitan possit nullum institutum praebere tantundem evolutionis.

Tertia operis pars, quae ius vigens tradit, dissertationes instituit de affinitatis vinculo, impedimento, natura ceterisque praeter impedimentum effectibus. Haec postrema est omnium optima pars, quippe quae ingenium iuridicum cl. Auctoris maxime expromit: notatu digna

praesertim elegans de ratione constitutiva impedimenti affinitatis dissertatio (pag. 182 seqq.), ubi praecepta de legis interpretatione pulchre utuntur; praeterea vero alii quoque loci apparent perspicui, sicut. ex. gr., concinna expositio principiorum quae ex declaratione S. Officii descendunt; nec est obliviscendum caput quod agit de effectibus minus speciosis ab affinitate partis, id est de effectibus aliis ac impedimento matrimonium dirimenti, ut puta quoad collationem officiorum et quoad processum.

Alia dicenda essent, sed ne plura hoc unum sufficiet, quod illis, qui iam inde ab hoc tempore institutum affinitatis explorare cupient, ex opere hoc hauriendum erit.

JOSEPH MARCONE

STÉPHANE PIAT, *Ricchi e Poveri nel Vangelo*, ediz. Ares.

« Queste pagine non hanno la pretesa di costituire un trattato o un libro di meditazione sul buon uso dei beni della terra. Il loro Autore — scriviamo anche noi — si è unicamente preoccupato di raccogliere dal Vangelo i fatti e gli insegnamenti riguardanti la ricchezza e lo spirito di povertà, senza curarsi eccessivamente né di esaminare l'argomento, né di dare alla materia un ordine rigoroso. Questi insegnamenti, che per solito vengono studiati di mano in mano che il lettore li incontra, sono stati qui riuniti nell'intento di porre maggiormente in risalto quel distacco dalle ricchezze, in cui risiede uno dei tratti più caratteristici della morale cristiana »,

Con queste premesse, il Ch. Autore di « Ricchi e Poveri nel Vangelo » ha presentato il suo lavoro.

Con le stesse noi apriamo la nostra recensione, perché le abbiamo trovate rispondenti al contenuto e alla stesura dell'opera stessa.

Leggendo « *Ricchi e Poveri nel Vangelo* », sovente ci siamo ricordati di una classica preghiera di Agur, preghiera che ci é sempre piaciuta di ripetere per conto nostro e che ci permettiamo di ricordare agli Amici di « Monitor Ecclesiasticus » :

« Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria » (Prov., cap. 30, v. 8).

Infatti, il volume del Piat profila senza mezzi termini quando le ricchezze possono essere di ostacolo all'uomo, in ordine al conseguimento della salvezza eterna.

Da pag. 67 a pag. 127, il richiamo a tremendi episodi del Vangelo mette vivamente a fuoco il perché della paura che aveva il Profeta dell'abbondanza, comunque dell'attaccamento al danaro.

La figura evocata di Giuda parla in tutta la sua drammatica storicità.

Il culto di Mammona lo travolse a vendere addirittura il Sangue

del Figlio di Dio, chiudendo la sua misteriosa storia nell'ignominia nella disperazione.

Al contrario, da pag. 135 a pag. 197, il Ch.ro Autore ha dimostrato che la ricchezza può essere anche strumento di elevazione, di conquista, di salvezza.

Dipende dall'uomo: questo l'uomo potrà conseguire se avrà presente di essere non il « dominus » delle cose, ma semplicemente l' « administrator ».

La figura del buon Samaritano, messa in luce con finezza da Stéphane Piat, convince profondamente che, visti gli uomini come sono, la ricchezza é necessaria anche come efficace strumento di sempre maggiore socialità.

Infine, da pag. 205 a pag. 247 si capisce molto chiaramente perché il Profeta pregasse che il Signore non lo facesse vivere nella miseria.

Ecco perché l'illustre Autore ha voluto prevenire l'uomo che sta sull'orlo della disperazione perché povero privo del necessario: Dio — se egli confiderà in Lui — non lo abbandonerà: Egli é il Padre dei poveri: e le vie della Provvidenza per arrivare a loro sono misteriosamente molteplici e anche miracolosamente senza numero.

Pertanto, consigliamo il volume; che si presenta anche in buona forma tipografica, ai ricchi e ai poveri, a tutti, certi di avere prestato un buon servizio anche noi ai primi e ai secondi.

A. Gregnanin.

DOCUMENTA

ALLOCUTIONES JOANNIS PP. XXIII

I. Iis qui interfuerunt Conventui V ex omni natione, a Pontificia Academia Thomasiana Romae coacto. *

Singulari sane animi Nostri laetitia vos in alma hac Urbe, Petrianae Cathedrae sede, congregatos salutamus, qui vel Pontificiae Academiae Thomasianae sodales estis, vel conventui ex omni natione praesentes interfuistis, ab eadem bromerente optime Academia coacto. Atque causae cur laetemur re ipsa Nobis bonae immo optimae praebentur.

Thomasiana namque Academia a certis non discedens normis, quas eius conditor immortalis memoriae Leo XIII illi dedit, quasque Decessores Nostri, qui pone secuti sunt, ratas habuerunt atque confirmaverunt, sive congressionibus ex omni populo initis, sive septem dierum coetibus convocatis, numquam praetermisit quin illustraret, defenderet, vulgaret philosophicam Aquinatis disciplinam. Cuius doctrina, cum prae ceteris consentanea esset et veritatibus, Deo aperiente, cognitis, et Sanctorum Patrum documentis, et rectae rationis principiis, Ecclesia sancta sibi tamquam suam sumpsit, eiusdemque auctorem appellavit *Doctorem communem,* hoc est universalem. [1]

Quoniam vero vobis non secus ac Nobismetipsis persuasum plane est, in omnes aetates duratura Angelici Doctoris principia, praecepta docendique viam etiam ad ipsam morum disciplinam pertinere, de qua longior *Summae Theologicae* pars ordine, gravitate, et perspicuitate maximis agit, idcirco vos, dilectissimi filii, de tribus, quae sequuntur, permagni momenti doctrinae capitibus, cum rationibus Thomasianis congruentibus, disputastis, omnino servatis Ecclesiae sanctae praeceptis, quae hanc materiam complectuntur: sermones videlicet habuistis primum *de fundamento et de auxiliis moralitatis,* deinde *de iuribus veritatis servandis et componendis,* tum *de vero conceptu laboris.*

Non est profecto propositum Nobis ut argumenta huiusmodi, ne breviter quidem, attingamus, quibus de rebus uti opportune poteritis sive subtilioribus uberioribusque documentis a Decessore Nostro ven. mem. Pio XII editis, sive primis Litteris Encyclicis Nostris, quibus *Ad Petri Cathedram* initium. His praeterea argumentis lumen attulerunt, eaque altius perscrutati sunt, qua disputationibus, qua commentationibus, viri disciplinarum philosophicarum et theologicarum peritissimi, quorum nomina in subiecto Nobis indice perlibenter scripta legimus.

Pro eo, quo fungimur, supremi fidei magistri munere, summam

---

* Die 16 Septembris mensis a. 1960.

[1] Cfr. Pius XI, Litt. Encycl. *Studiorum ducem, A. A. S.* XV. 1923, p. 314.

adhibemus curam, ut sempiterna animorum salus comparetur. Quod quidem in hisce rerum adiunctis Nos impellit, ut mentibus vestris considerandas duas veritates proponamus, quas ad confirmanda Congressionis vestrae commoda quam maxime conducere existimamus.

Prius quod animadvertendum esse ducimus hoc est: Aquinatis moralem disciplinam, etiamsi videatur ad unum sibi proxime statutum finem, investigandae scilicet rerum rationis, contendere, ubi eius altum indagetur consilium, eo semper spectare, ut homines disponat ad tutam perfectamque assecutionem supremi ac supernaturalis eorum finis, in quo aeterna felicitas contineatur. Huiusmodi moralis doctrinae S. Thomae praecipua proprietas, qua terrestria transcenduntur, et supernaturalis finis conquiritur, a Decessore Nostro Pio XI in Encyclicis Litteris « *Studiorum ducem* » sapienter in lumine collocata est hisce verbis: *Idem praeterea solidam theologiae doctrinam de moribus condidit, quae ad dirigendos totos humanos actus valeat supernaturali hominis fini congruenter.* [2]

Alterum verum, quod cogitationi vestrae proferre cupimus, instantius et maioris quoque momenti Nobis esse videtur, dum in exspectatione eventus Concilii Vaticani secundi sumus, quod ut apte paretur sollicitudo Nostra evigilat: tractationem nempe et solutionem moralium quaestionum, secundum numquam interitura Aquinatis principia, miro usui esse, ut studiosis veritatis et caritatis consensus et unitas sit: cum inde et Ecclesiae Catholicae, et universo terrarum orbi multiplex et opimus fructus pacis sit exspectandus.

Ceterum Pius XI in Litteris Encyclicis *Studiorum ducem,* quibus Aquinatis insignia recolebantur merita, sexto exacto saeculo, postquam is in Sanctorum Caelitum numerum relatus est, hoc sibi statuerat, *pacis Christi in regno Christi* [3] deproperare triumphum. Pastoralium sollicitudinum Nostrarum haec pariter praecipua occupatio, hoc celsum est veluti culmen, prout iam in primordiis Pontificatus Nostri commonefecimus. Etenim in primis a Nobis editis Litteris Encyclicis cum filiis Nostris, qui ubique terrarum sunt, animi Nostri sensus communicavimus: christianae pacis scilicet triumphum e divina caritate, effusius in humanae societatis sinum manante, sperandum esse: *Optata quippe salus expectanda est praecipue ex magna effusione caritatis.* [4]

Quapropter si vos, animorum salutis anxii, morales veritates, quae naturali lege, veluti proximo fundamento, innituntur et in divina Revelatione supremam assequuntur normam, studiose colueritis et assidue propalaveritis, verae animorum libertatis eritis assertores; atque si operarum conductoribus et operariis suadendo, monendo auctores fueritis, ut aequa ratione iura sibi mutuo vindicent et officia persolvant, pro viribus vestris efficietis, ut iidem sequantur Christum Iesum *viam,*

---

[2] *A. A. S.* XV, 1923, p. 319.
[3] Cfr. *ibid.*
[4] *A. A. S.* LI, 1959, p. 509.

veritatem, vitam, [5] in mortali nostro aevo *protectorem* et in beata aeternitate *mercedem magnam nimis.* [6]

Sed ut haec, quae tantopere exoptamus, effecta dentur, opus est in primis Thomasianis documentis perscrutandis diligenter vacetur. Quapropter cupimus vehementer eorum numerum augeri in dies, qui sibi de Angelici Doctoris operibus lumen et eruditionem hauriant; eosque non solum e sacerdotibus vel e viris recondita doctrina ornatis, sed etiam e bonarum artium studiis communiter deditis: quibus crebriores ascribi praesertim velimus iuvenes, in Catholicae Actionis ordines allectos, studiorumque laurea donatos. Valde deinde expetimus divi Thomae praeceptorum veluti thesaurum, summo cum rei christianae emolumento, cotidie largius effodi, atque adeo eius scripta latissime in vulgus edi, sive instituendi ratione, sive dicendi genere a nostrorum dierum ingenio et indole nulla ex parte discrepantibus.

Ma due osservazioni sarà a tutti facile fare al paragone dell'uno e dell'altro Congresso Eucaristico; la prima è quella che ci fa notare come questi solenni e straordinari avvenimenti religiosi si vanno anch'essi svolgendo; e se ieri erano caratterizzati dalla sola grandiosità della manifestazione esteriore, ora cercano di aggiungervi l'impronta di un'idea, che la domina e la illumina, e le dà un significato, uno splendore interiore. S'è visto recentemente al Congresso Eucaristico mondiale di Monaco, che seppe concentrare ogni atto, ogni apparato, ogni cerimonia, e infine lo spettacolare rito di trionfale conclusione in un unico pensiero: Cristo, salute del mondo, mediante il suo cruento sacrificio della croce, perpetuato nell'incruento sacrificio eucaristico. Così voi avete accolto l'idea programmatica

e unitaria che il Vescovo diocesano ha prefisso a questo Congresso: il « *dies Domini* », il giorno del Signore. Ed è così che queste manifestazioni acquistano un maggior valore spirituale; è così che esse non si esauriscono nella festosità esteriore, ma diventano affermazioni di pensiero religioso e vengono educando la vita interiore dei fedeli e perfezionando col loro sforzo straordinario la forma ordinaria del nostro culto.

Il giorno del Signore, la festa, la domenica principalmente sarà tema offerto allo studio, alla meditazione, alla preghiera di questo Congresso; tema ottimamente scelto, e imposto ormai, come urgente e prevalente, all'attenzione di quanti hanno responsabilità ed hanno occhio sui fenomeni della vita religiosa del nostro popolo.

E badando alla scelta del tema — la santificazione della festa — sarà facile una seconda osservazione relativa al presente Congresso; e cioè sarà facile avvertire come il costume del nostro popolo subisca profonde trasformazioni proprio in ordine alla santificazione della festa. Avvertiremo che la giornata festiva del nostro popolo sta cambiando i suoi centri d'interesse, finora determinati da due precetti: quello del riposo festivo e quello del culto festivo; ed ora invece rivolti ad altri motivi, il divertimento profano specialmente il viaggio, la passeggiata, lo sport, l'occupazione volontaria. Il cambiamento è così notevole e in alcuni luoghi, le città specialmente, così precipitoso da costituire una vera trasformazione di costume. La vita religiosa della nostra società è investita in pieno da questa trasformazione; e con la vita religiosa, che perde il suo primato nell'estimazione e nell'osservanza del popolo, sono compromesse la diffusione della parola illuminante e consolante di Dio, la catechesi sacra, la preghiera nel suo momento più impegnativo e più pieno, quello della partecipazione alla Santa Messa, al mistero cioè di presenza e di salvezza di Cristo in mezzo ai suoi fedeli, e infine la vita morale, la vita spirituale, la vita stessa sociale, che subiscono profonde alterazioni, di cui la società non tarderà a sentire le conseguenze.

L'argomento è ora studiato da molti sotto l'aspetto dell'impiego del tempo libero. La settimana sociale dei Cattolici italiani ne ha fatto, lo scorso anno, a Padova, oggetto di meditate e sapienti dissertazioni, dalle quali desumiamo ora una sola conclusione capitale, che qui ora ci interessa; ed è quella che ci fa osservare come lo sviluppo industriale moderno abbia portato, e ancor più porterà, ad un aumento del tempo disponibile per il libero impiego d'ogni individuo, ma non ha portato alcun profitto alla vita religiosa del popolo, anzi, ha dato occasione ad un grave decadimento della pratica religiosa festiva. « Non c'è parallelismo, si osserva, fra l'aumento del tempo libero e l'aumento della pratica religiosa » (cfr. *Sett. Soc. 1959*, p. 211, Guzzetti).

Se voi seguirete le riunioni di questo Congresso, troverete ricorrente questa osservazione, e sentirete pastori di anime e studiosi di sociologia illustrare questo grande fenomeno, con particolare rilievo ai suoi aspetti negativi. La festa cristiana, specialmente nei centri

urbani, sta crollando. Alla festa cristiana, tutta rivolta all'elevazione dello spirito, alla celebrazione del culto di Dio, al richiamo dei fini supremi della vita, alla bontà dell'azione e dei sentimenti, alla pacifica fusione degli animi, alla distensione della fatica fisica per un godimento di onesta conversazione umana e familiare, succede la festa profana, per non dire talvolta la festa pagana, tutta impegnata a svaghi, che anche quando sono innocenti, non hanno il contenuto vivificante e tonificante della preghiera, del sacramento, della parola di Dio, ed hanno spesso una tendenza a dissipazione defatigante e punte edificante, Sarà bene che ascoltiate questi ammonimenti, che hanno base in indagini degne d'ogni attenzione, e che toccano nei suoi gangli vitali la pratica religiosa.

Ma in questo momento primo del Congresso Eucaristico vorrei chiamare la vostra attenzione non tanto su i fatti negativi riguardanti il « *dies Domini* », quanto su alcuni suoi punti positivi, che aiutino la nostra pietà a celebrare con devozione e con ricchezza di consolanti pensieri la bella manifestazione eucaristica.

Il primo punto sia questo: riscoprire la relazione fra il giorno del Signore e l'Eucaristia. E' una relazione che la nostra abitudine di ascoltare la S. Messa nei giorni festivi trova naturale e strettissima; è quasi una coincidenza: la festa e la Messa sono pressochè una stessa cosa nella valutazione pratica comune. Ed è così. Ma non soltanto perchè il precetto di ascoltare la S. Messa nel giorno festivo accosta empiricamente questi due concetti: la Messa e la festa: ma anche, e soprattutto per profonde ragioni spirituali e storiche la Messa e la festa sono collegate. Se ben si riflette non è la festa che offre il tempo e il quadro per la Messa; ma la Messa, con il suo significato, con la sua celebrazione sacramentale e comunitaria che dà ragione della festa cristiana; è essa che dà il giorno scelto per la sua celebrazione il carattere festivo; è essa che impone su la giornata la serenità, la pace, la letizia proprie del tempo festivo. Non c'è festa, per il cristiano, senza la Messa.

Perchè la Messa è il memoriale. E' il ricordo ricorrente nel giorno settimanale scelto da Cristo per la sua risurrezione; è l'atto sacrificale e sacramentale che riproduce, o meglio attualizza nella sua sostanziale identità il dramma della Croce, l'immolazione di Cristo avvenuta nella sua Passione, la morte cioè redentrice del Signore, che ha nel venerdì santo la sua consumazione, ma nella domenica il suo epilogo glorioso con la risurrezione di Cristo. Domenica, com'è noto, significa giorno del Signore; e tale nome è stato dato al giorno successivo al sabato ebraico, perchè in tale giorno il Signore è risorto, la nostra redenzione si è compiuta. (cfr. *Dict. Arch. Ch. et Lit — Dimanche* — amplissimo art. del DUMAINE, spec. 869, 878, 887).

Il rito settimanale è dato dalla Bibbia, riassume gli immensi cicli dei giorni della creazione, fissa nel sabato il quadro dell'universo quale la scena umana lo trova; e dà al nostro giorno festivo la sua periodica ricorrenza. Il giorno del Signore ritorna così ogni

sette giorni, batte il ritmo del tempo, in una misura che il disegno divino ha stabilito, e che la natura umana trova magnificamente corrispondente con la periodicità dei bisogni della vita. Il giorno del Signore ci ricorda, anzi ci ravviva la sua insistenza nel tempo, la sua comunione con la storia, la sua presenza fra noi. Ricordate le ultime parole di Gesù, prima di prendere congedo dai suoi discepoli e dalla sua scena temporale: « Ecco Io sono con voi tutti i giorni sino alla fine del mondo »! (*Mt.* 28, 20).

Questa promessa è l'Eucarestia che principalmente e sacramentalmente la verifica, ed è domenica, il giorno del Signore, il momento destinato alla celebrazione del mistero della presenza di Cristo nella Chiesa che gli è fedele.

Ricordate il racconto incantevole degli Atti degli Apostoli, quello che ci narra di Paolo, e certamente di Luca, con altri discepoli che arrivano dalla Macedonia a Troade, nell'Asia Minore? « A Troade, dice quella storia preziosa, ci fermammo sette giorni. E nel primo giorno della settimana (ecco il giorno del Signore che s'introduce fin dell'età apostolica nelle abitudini cristiane), essendoci radunati per spezzare il pane (ecco la celebrazione rituale, possiamo ben presumere che sia quella eucaristica), Paolo, dovendo partire il giorno dopo, s'intrattenne con i discepoli, e prolungò il discorso fino a mezzanotte... » (*Act.* 20, 7-8; cfr. *I Cor.* 11, 20 e 16, 2).

Possiamo concludere dicendo che la domenica, il giorno del Signore per antonomasia, dev'essere tale per la celebrazione dei misteri eucaristici, che ravvivano la memoria della Passione e della Risurrezione di Cristo, cioè dell'opera divina per la salvezza del mondo, e perciò della nostra massima e indispensabile fortuna; essa è perciò il cuore della nostra religione; ad essa si può riferire ciò che diciamo dell'Eucarestia, il « *Sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis Eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur* »; traducendo: celebriamo nella domenica il sacro convito; si riaccende la memoria della Passione di Cristo, l'anima si riempie di grazia, ed a noi è dato il pegno della gloria futura ». Il passato, il presente, il futuro hanno nella domenica cristiana la loro sintesi, la loro colleganza, la loro più alta interpretazione; e l'hanno perchè nella domenica si celebra la Messa.

Questo spiega un secondo punto cardinale per tutta questa dottrina e per la conseguente programmazione della nostra vita: la domenica dev'essere destinata a questi sovrani pensieri, a questi riti sublimi, a questa evasione dal temporale e dal profano, a questa comunione con Cristo, a questa sublimazione della nostra vita, a questa esaltazione collettiva degli spiriti, a quest'armonia di fede, di cuori, di preghiere, che danno alla società religiosa umana, derivante da Cristo, la Chiesa la sua piena attualità, la sua ebrezza mistica, la sua capacità profetica, la sua realtà nel tempo, preludio e pegno della sua realtà oltre il mondo presente.

Il giorno del Signore è un giorno di festa; perciò giorno distratto

dalle consuete occupazioni; è giorno assorbito in un'impegno religioso, che sa di assoluto, che dev'essere vittorioso d'ogni concorrente impegno, che sa di beato e ripaga d'ogni terrena e profana rinuncia.

Il giorno del Signore è un giorno di libertà, appunto perchè svincola dai consueti rapporti, che costituiscono il giogo, per quanto doveroso e degno, che pesa su la sorte umana, quella dell'estrarre le risorse della vita dalla terra, quella di guadagnare il pane col sudore della fronte. Se il mondo moderno non vuol ricadere nella concezione, propria all'antichità e all'umanità priva di Cristo, di considerare il lavoro una servitù, e di farne il segno di gente umiliata e giogo di uomini schiavi, ma vuol comprendere e vivere il lavoro come espressione di legge umana e divina - biologica, economica, morale, - fonte di elevazione e di progresso, deve collegarlo con le finalità supreme della vita, che sono senza dubbio quelle religiose, garantite da Cristo; e deve perciò ad esse coordinarlo e subordinarlo: deve saperne sospendere, quasi a prendere fiato, le esigenze materiali ed economiche, per riconoscere, nel riposo fisico e nel risveglio spirituale della festa, il suo carattere essenziale di fatica e di pena, sì, ma insieme il suo scopo finale di sussidio e di alimento alla vita, il suo merito di dovere compiuto e il suo pegno di speranza sicura. Il lavoro senza il riposo diventa inumano; e il riposo senza conforto religioso, senza comunione spirituale con Dio e con Cristo, umano veramente non è, cristiano no certo.

Ripetiamo questi concetti con le parole d'un maestro contemporaneo: « Con la redenzione il lavoro stesso ha preso un altro carattere: i compiti naturali restano, e resta anche da sopportare la conseguenza della colpa originale; ma il mistero della Provvidenza ci è stato rivelato, e ormai tutto ciò che avviene entra in un ordine in cui le cose sono tutte nuove. In quest'ordine, il lavoro non è più soltanto una lotta maledetta per vivere e per operare, ma diventa una funzione mediante la quale l'uomo compie la propria crescita; giorno per giorno. In questa prospettiva il lavoro acquista un nuovo valore, una nuova dignità, una nuova certezza. La domenica libera il cristiano dal lavoro, affinchè in questa libertà, egli prenda coscienza della sua redenzione. Ecco perchè la domenica ha così grande importanza ». (Guardini, *Le jour du Seigneur*, p. 194-95).

E perciò concludiamo con un terzo punto: bisogna che restituiamo al giorno del Signore la sua posizione nel calendario, la sua concezione nella nostra mentalità, il suo rispetto nella nostra vita pratica, la sua pienezza nel nostro mondo spirituale e sociale.

Occorrerà ribadire l'osservanza delle leggi civili e religiose del giorno festivo. E' deplorevole che questa osservanza vada scadendo, e trovi compiacenti e rassegnati autorità e cittadini che avrebbero dovere, diritto e perfino temporale interesse di rivendicarne il rispetto e di illustrare la ragionevolezza. A questo riguardo urge da noi riflettere e provvedere: le violazioni del riposo festivo, sancito dalle leggi, sono ormai così fragranti e così gravi da costituire un'irrisione agli altissimi fini delle leggi stesse, ed in certi casi una sperequazione so-

ciale per i lavoratori obbligati non più al riposo ma al lavoro festivo.

Ma occorrerà soprattutto che noi cristiani restituiamo al giorno festivo il suo significato mistico, d'incontro con la parola divina e col mistero eucaristico di Cristo.

Bisogna che facciamo comprendere al nostro popolo la bellezza della festa santificata e che lo aiutiamo a trovare nella festa cristiana conforti spirituali adeguati alla sua indole ed ai suoi bisogni.

Forse oggi siamo in condizioni migliori per ridare il suo pieno senso religioso al giorno festivo, che non fossero i nostri padri, i quali dovevano maggiormente puntare su l'imposizione autoritaria della sua osservanza. Noi possiamo tendere a questa osservanza anche con altre risorse: la cultura del popolo, il movimento liturgico, la rinascita del senso comunitario della religione nella Chiesa, l'esigenza stessa spirituale delle nuove generazioni, specialmente di quelle giovanili, avide di Cristo, del suo Vangelo, della sua comunicazione vitale e sacramentale, ci offrono modo di dare alla Messa festiva una potenza, un'attrattiva, una letizia che solo noi moderni, dopo i secoli cristiani e dopo l'esempio dei Santi, possiamo sperimentare.

E' venuta l'ora ed è questa: il giorno festivo deve ritornare il giorno del Signore, per essere il giorno della Sua gloria, il giorno del nostro incontro con Lui, il giorno in cui ascoltiamo la sua voce e a Lui facciamo sentire la nostra; il giorno del nostro colloquio con Dio; il giorno della nostra rinascita e della nostra speranza; il giorno della nostra salvezza.

Bergamo è degna, Bergamo è capace di questi propositi.

(*Rivista Diocesana Milanese*, 1960, v. 49, 456-461).

CHRONICA

CHRONICA

ACTA IOANNIS PP. XXIII

29 Februarii 1960 — *Motu proprio « La sollecitudine » — De Pontificio Consilio ecclesiasticis Italiae tabulariis curandis (cum « Statuto »)* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 52, pp. 997-1000).

23 Iunii 1960 — *Conventiones inter Sanctam Sedem et Rempublicam Austriacam*:
« 1° *Per il regolamento di rapporti patrimoniali*
2° *Per erigere in diocesi l'Amministrazione Apostolica del Burgenland* ». (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 933-945).

14 Ianuarii 1961 — *Epistula Apostolica « Iam in Pontificatus » Ad Exc.mos Archiepiscopos et Episcopos nationis Vietnamiensis, post Sacram ibidem constitutam Hierarchiam. Gratulatur Summus Pontifex sollemnes celebratos ritus centenario labente anno a Lapurdensi miro visu, et tertio elapso saeculo postquam primi Apostolici Vicarii missi sunt ad istas longinquas oras. Nova vero in praesens datur affandi occasio quod hierarchia apostolica in omnibus regionis territoriis est constituta. Pro certo habet Summus Pontifex Episcopos ac sacerdotes calcar, etsi currentes, exinde habituros ut in sacris adimplendis muneris partibus magis magisque industrii evandant; christifideles autem meliores iugiter futuros, cum nova auctoritate agnoscant fulciri catholicae vitae instituta.* (*A.A.S.*, — 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 84-88).

16 Ianuarii 1961 — *Consistorium Secretum*:
1° *Camerarium Sacri Collegii*
2° *Summi Pontificis Allocutio*
Creatio et publicatio Patrum Cardinalium
Provisio Ecclesiarum
Postulatio Palliorum (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 66-82).

19 Ianuarii 1961 — *Consistorium publicum* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, p. 82).

19 Ianuarii 1961 — *Consistorium Secretum*:
1° *Provisio Ecclesiarum*
2° *Oris aperitio ac Titulorum assignatio*
3° *Postulatio Pallii* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 82-83).

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

16 Ianuarii 1960 — *Rivi Nigri (S. Ioannis in Brasilia) Const. Ap. « In similitudinem » Divisis ab archidioecesi Rivi Nigri quibusdam territoriis, fit ex ipsis nova ecclesia « S. Ioannis in Brasilia ». Ad hominum necessitates solet Ecclesia Sancta descendere ut quot-quot homines in terris existunt, uberiore verbi Dei perfruantur copia. Hac eadem ratione motus, preces Apostolicus in Brasiliana repubblica Nuntius Romano Pontifici adhibuit, novae dioecesis erectionem impetraturus. Postulata Summus Pontifex, pro Sua benevolentia admisit, sedemque Pastoris statuit in urbe « São Ioão de Bõa vista ». Alia, more solito, decernuntur de seminario saltem elementario condendo, de canonicorum capitulo erigendo et de mensa episcopali efficienda.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 16-19).

25 Aprilis 1960 — *Morondavensis (Morombensis) Const. Ap. « Africae gentes » Quibusdam ex dioecesi Morondavensi detractis territoriis, nova dioecesis conditur, « Morombensis » nomine. Humano ac civili cultu mire hisce temporibus progrediuntur qui in Africa degunt: quos ideo singulari sollicitudine prosequitur Apostolica Sedes, ea libenter concedens quae animorum commodo prospiciunt. Huiusmodi est novae dioecesis Morombensis erectio, quae expostulata fuerat ab Apostolico Delegato in Dakarensi urbe conversante* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 18-20).

30 Aprilis 1960 — *Mexicanae (Texcocensis) Const. Ap; « Caelestis civitas » Quibusdam ex Mexicana archidioecesi detractis territoriis, nova dioecesis conditur « Texcocensis » appellanda. Populi necessitatibus inservire cupit Romanus Pontifex, et externa auxilia promovet quibus, veluti signis, omnium oculis cerni possit Ecclesia Sancta. Libenter igitur exauditae sunt preces ab Apostolico Delegato in Mexicana regione oblatae, ac nova conditur dioecesis ex urbe « Texcoco » appellanda, et ad normam iuris regenda* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 20-22).

30 Aprilis 1960 — *Sancti Ioannis Portoricensis — Poncensis (Arecibensis et aliarum) Const. Ap. « Cum Apostolicus » Quibusdam detractis territoriis ex dioecesibus S. Ioannis Portoricensis et Poncensi, nova conditur dioecesis « Arecibensis », atque praelatura nullios « insularum a Virginibus » seu « Thomasiana »; novaque item constituitur Ecclesia metropolitana, ad hanc dignitatem dioecesi Sancti Ioannis Portoricensis evecta. Precibus accedit Augustus Pontifex ab Apostolico Delegato pro ecclesiasticis negotiis in dicione Portoricensi ideo oblatae ut ad christianum bonum assequendum, aptiore quodam modo ecclesiasticae circumscriptiones*

partirentur. Obligationes servandae, et ceterae normae quibus novi Ordinarii tenentur, rite edicuntur. (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 88-91).

30 Aprilis 1960 — *Aracaiuensis* (*Propriensis, Stantianae*) *Const. Ap.* « *Ecclesiarum omnium* » *Detractis a dioecesi Aracaiuensi quibusdam territoriis, novae dioeceses conduntur* « *Propriensis* » *et* « *Stantiana* », *atque nova constituitur provincia ecclesiastica* « *Aracaiuensis* » *nomine. Nihil intentatum relinquit Romanus Pontifex ut ecclesiarum utilitati valeat prospicere et illa promovere quae aptiori earum gubernationi conducere videntur: aequiore enim facta territorii distributione — quam postulavit Apostolicus in Brasilia Nuntius — ampliore perfruentur incolae animorum suorum curatione* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 91-94).

21 Maii 1960 — *Marianensis — Campaniensis in Brasilia — Iudiciforensis* (*S. Ioannis a Rege*) *Const. Ap.* « *Quandoquidem* » *Ab ecclesiis Marianensi, Campaniensi in Brasilia, Iudiciforensi, quaedam territoria detrahuntur, quibus nova dioecesis constituitur* « *S. Ioannis a Rege* » *appellanda. Solet novae cuiusdam ecclesiae constitutio in spem adducere fore ut christiana fides uberiora capiat in populis incrementa et promptiores afferat causas adipiscendae salutis: ideo acceptae sunt postulationes ab Apostolico in Brasilia Nuntio suo tempore datae.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 94-96).

21 Maii 1960 — *Kisumuensis* (*Kisiianae*) *Const. Ap.* « *Divina Christi* » *A dioecesi Kisumuensi quibusdam detractis territoriis, nova efficitur dioecesis* « *Kisiiana* » *appellanda. Quae Christus protulit verba, albas nempe esse ad messes regiones Summum Pontificem impellunt ut per omnes rationes et etiam, ubi oportet, per aptiorem ecclesiarum partitionem, catholicae rei provide ac utiliter consulatur. Hac de re exauditae fuerunt petitiones factae per Apostolicum in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegatum.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 97-98).

31 Maii 1960 — *Segobricensis* (*Segobricensis — Castellionensis*) *Const. Ap.* « *Illas in Ecclesia* » *Dioecesi Segobricensi* « *Castellionensis* » *denominatio adiungitur, atque in urbe Castellione concathedralis sedes constituitur. Quod urbes, vel loci opportunitate vel incolarum frequentia, vel opum abundantia, vel comparata gloria in fide tuenda, vel incoeptorum nobilitate clarae, aptis privilegiis, honoribus et iuribus ditentur, hoc in maiorem Dei gloriam vertit, et christianae vitae fovet fructus. Hisce consideratis, preces ab*

Apostolico in Hispania Nuntio oblatae, rite servatis Conventionibus inter Sanctam Sedem et hispanicam nationem initis, auditae sunt. (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 99-100).

LITTERAE APOSTOLICAE:

22 Aprilis 1960 — *Litt. Ap. « Decus Eximium » Basilicae Minoris titulo ac privilegiis cohonestatur ecclesia paroecialis S. Wendalini in oppido vulgo « St. Wendel » appellato, Trevirensis dioecesis. Sexcentesimus mox cum sit abiturus annus ex quo ecclesia ista, insigne pietatis monumentum, ac singulare civium praesidium, Gothico confecta structurae genere, fuit consecrata, petitiones ad rem admovit Trevirensis Episcopus, admotasque accepit Summus Pontifex.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 23-24).

3 Maii 1960 — *Litt. Ap. « Ad universae » — Delegatio Apostolica Mediae Africae Occidentalis erigitur. Porro in terris ubi Ecclesiae soboles feliciter succrescit, expedire videtur Apostolicam Delegationem institui ut amplioribus Ecclesia Mater augeatur incrementis et Evangelii praeconium efficacius propagetur* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 52, pp. 1000-1001).

3 Maii 1960 — *Litt. Ap. « Quemadmodum » Nova Delegatio Apostolica Insulae Madagascariae erigitur. Novus iste, audito Cardinali Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, componitur ordo, cum Apostolici officii conscientia postulet ea omnia mature praestari quae ad fines religionis proferendos aliquo modo valent. Novae Delegationis sedes in urbe « Tannariva » collocatur.* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 52, p. 1001).

3 Maii 1960 — *Litt. Ap. « Eo intendentes » Nomen Delegationis Apostolicae Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae mutatur, eaque appellabitur « Delegatio Apostolicae Africae Orientalis »: eius insuper fines novo ordine statuuntur. Nova adiuncta nominis mutationem suaserunt; novam finium descriptionem sollicitior rerum ecclesiasticarum negotiatio.* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 52, p. 1002).

3 Maii 1960 — *Litt. Ap. « Decet Nos » Delegationi Apostolicae « de Dakar » novo titulo « Delegationis Apostolicae Africae Occidentalis » indito, novi eius fines constituuntur. Africae quae ad septemtriones vertiti mutatis hisce nostris temporibus, condicionibus res quoque ecclesiasticas novo ordine ibi componi oportebat: quod etiam evangelii praeconibus conducere videtur.* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 53, p. 1003).

18 Maii 1960 — *Litt. Ap.* « *Tot inter angustias* » *Beata Maria Virgo* « *Domina Nostra a Pace* », *praecipua caelestis Patrona dioecesis Truxillensis in Venezuela confirmatur. Recentis huius dioecesis Patrona est constituta Virgo* « *a pace* »: *Deipara enim augusta, coeli terraeque Regina, religiose colitur in universa hac regione, in templo praesertim principe sub hoc eodem nomine insigni. Qua de re, electionem factam libenter ratam habet Romanus Pontifex* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 24-25).

20 Maii 1960 — *Litt. Ap.* « *Peculiari studio* » *Beata Maria Virgo de Monte Carmelo praecipua Patrona dioecesis Papantlensis eligitur. Praeclara Beatae Virginis de Monte Carmelo eademque devotissima imago, aureo diademate nuper adhuc redimita, in ipsa Papantlensi episcopali sede proposita christifidelium animum ad se convertit. Patrona igitur non absque ratione renuntiatur.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 25-26).

CHIROGRAPHUM:

16 Decembris 1960 — *Ad E.mum P. D. Ignatium Grabrielem tit. Sanctorum XII Apostolorum S. R. E. Presb. Card. Tappouni, Patriarcham Antiochenum Syror., quinque implentem lustra, ex quo Sacra Purpura est decoratus.* (*A.A.S.* - 30 Ianuarii 1960, vol. 53, p. 26).

EPISTULAE:

31 Augusti 1960 — *Ep.* « *Con grande* » *Ad E.mum P. D. Eliam tit. S. Marci S. R. E. Presb. Cardinalem dalla Costa, Archiepiscopum Florentinum, ob sacram peragendam in ea urbe missionem. De Ecclesia Sancta, universorum hominum matre, cum in missionibus populo dandis pertractandum proponatur, rem plane opportunam et Pontificis votis convenientem aggredi contendunt, Pastore praeeunte Florentini christifideles. Duo praesertim ex praedicandis missionibus oboritura sperat Summus Pontifex: ardentius nempe praestitum Ecclesiae obsequium, et paroecialem vitam ac praxim fidelius servatam.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 946-947).

21 Octobris 1960 — *Ep.* « *Libenter mox* » *Ad E.mum P. D. Marcellum S. R. E. Cardinalem Mimmi, Episcopum Sabinensem et Mandelensem, et Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, quem legatum mittit ad Marialem Conventum in urbe Bono Aëre ex utriusque Americae Nationibus agendum. Gravia sane argumenta erunt, Servatoris Matre adiutrice, in Conventu pertractanda: prae ceteris tamen ad parandam pacem congregandi Viri operam coniungere debent, pacem quidem quae iustitiae ac caritati unitur,*

et pietatem in Deo virtutumque exercitium, ut crescat et floreat, exposcit. Ad id consequendum, socialis quaestio solvatur oportet. Vota denique promit. (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 948-949).

7 Novembris 1960 — *Ep.* « *L'heureuse nouvelle* ». *Ad Exc.mum P. D. Michaëlem Bernard, Archiepiscopum Brazzapolitanum, ob sacra sollemnia indicta, cum Congensis Respublica sui iuris esse coepit. Universos in Africa extantes filios paterno studio prosequitur communis Pater, Congensis autem reipublicae cives ex corde gratulatur et praeterita recolens tempora ac impensos labores ut Catholica Ecclesia in regione instauraretur, praesentia considerat incrementa (indigenas sacerdotes, catechistas, scholas, Actionis Catholicae consociationes) firmam alit fiduciam fore ut inter potiores regiones quae sunt Ecclesiae corona, possit et haec regio mox accenseri. Laudat vitam in familiis ad normam Evangelii constitutas, fideles coniuges, obedientem sobolem.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 950-951).

21 Novembris 1960 — *Ep.* « *Nei giorni* » *Ad Exc.mum P. D. Vidonem Mariam Mazzocco, Episcopum Adriensem, ob eluviones aquarum, quae fines dioecesis ei concreditae dire vastarunt. Magnum attulit Romano Pontifici moerorem eluvio quae regionem Sibi apprime notam paterneque dilectam, late vastavit: solatii tamen non defuit origo ex fidelium caritate et plurimorum coetuum incoeptis in egentium levamen initis. Longe quidem a veritate aberrant qui Ecclesiam censent hominum aerumnas neglegentem: mater enim cum sit sollicita, quidquid etiam in rebus materialibus suscipitur, probat fovetque.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 952-954).

10 Decembris 1960 — *Ep.* « *Nous avons appris* » *Ad Exc.mum P. D. Aloisium Ferrans, Archiepiscopum Turonensem, primo exeunte saeculo ex quo sepulcrum Sancti Martini, Galliarum Apostoli, repertum est. Ideo probat Romanus Pontifex instaurandas celebritates quia centesimus decurrit annus ab Episcopi invento sepulcro et quia* « *annus renovandae caritati* » *feliciter initur. Recolit insuper exempla Martini qui monachorum instituto adhaerebat, numquam animum ab oratione relaxabat, et ita implebat episcopalia munera ut non tamen monachi propositum ullo modo desereret, et in evangelii praedicatione ubi fana destruebat, statim ibi aut ecclesias aut monasteria erigeret.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 27-30).

9 Ianuarii 1961 — Ep. « *Haud minus* » *Ad E.mum P. D. Iacobum tit. SS. Bonifatii et Alexi S. R. E. Presb. Card. de Barros Camara, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, quinque lustra a*

suscepta episcopali dignitate implentem. Labore ab Amplissimo Viro susceptos grate recolit Romanus Pontifex et gratulatur: prae ceteris, memorat Eucharisticum Conventum ex omnibus gentibus anno 1955 sollemni ritu congregatum (*A.A.S.*, - 28 februarii 1961, vol. 53, pp. 101-102).

ALLOCUTIONES:

28 Octobris 1960 — *All. in Basilica Vaticana habita, in festo SS. Apostolorum Simonis et Iudae, postquam Summus Pontifex octo Sacris Praesulibus episcopale munus tradidit, altero exeunte anno ex quo ad Petri Cathedram evectus est. Felix cum haec detur occasio, nonnulla recolit Summus Pontifex elapso hoc tempore confecta: nuper vero sacratis episcopis — unxit Te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis — singularem unitatis et varietatis conspectum offerentibus, iterat exhortationem ut caritatis ignem, a Christo Domino in terram allatum, ubique accendi studeant: quod etiam hodierna festiva celebratio SS. Apostolorum Simonis et Iudae suadet et urget.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 954-958).

13 Novembris 1960 — *All. in Petriana Basilica habita, post Sacram sollemnem Liturgiam, Byzantino-slavico rita peractam. Habita sollemni celebratione, initium fere ducere videtur Oecumenicum Concilium eadem porro ratione eodemque loco ubi alia sollemnia exordium sumpserunt. Testantur praesentia adiuncta, egregiis adstantibus viris istius et illius ritus, Ecclesiae notas: Christi enim sponsa sancta est, una, catholica et apostolica.* (*A.A.S.*, - 20 Decembris 1960, vol. 52, pp. 958-964).

14 Novembis 1960 — *All. habita in Petriana Basilica ad consilia coetusque Concilio Vaticano II apparando. Oecumenica Concilia superioribus temporibus ideo, praesertim, indicta fuere ut catholicae fidei pariter consuleretur integritati, legique credendi pariter obtemperaretur: nostris vero hisce temporibus, cum hominum ingenia, inter alia, vel ex memoria deposuerunt, vel flocci habent religiosa universa, supernique ordinis principia, potiusquam de hoc vel de illo doctrinae christianae capite, alacriter est consulendum ut ad christianam hominum cogitandi vivendique praxim accedant.* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 52 pp. 1004-1016).

15 Novembris 1960 — *All. Ad Superiores Provinciales e religiosorum Familiis, qui Romam convenerant ut Conventui interessent. Adstantes Religiosi Viri in unum convenerunt ut inter Regulares Moderatores virium ac mentium consensio foveretur et de recta epheborum religiosorum institutione ageretur ita quidem ut comparata in praeterito experientia futurorum esset norma et*

nostrae aetatis necessitatibus obviam, pro posse iretur. Porro in dioecesana nuper celebrata Romana Synodo eadem Summus Pontifex ex animo commendaverat ab utroque clero unitatem actionis in paroeciis expostulans. (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 964-966).

23 Novembris 1960 — *All. Ad Excellentissimum Virum Haroldum MacMillan, Supremi Consilii publicae rei administrandae in Anglia Praesidem. Amplissimum adstantem Virum alloquens, vota pro universa Anglica Natione facit, cuius quidem sedulitatem in agendo iam pridem cognoverat et laudanda inita consilia ad pacem tuendam, ad iustitiam instaurandam ac fovendam, ad libertatis iura adserenda.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 966-967).

24 Novembris 1960 — *All. Ad Romanum utriusque Ordinis Clerum, postquam primum Romanae Syhodi leges vim obligandi habere coeperunt. De synodo Romana libenter eloquitur Summus Pontifex quam « apostolicum Conventum » appellat. Perlegant frequenter sacerdotes omnes hunc quasi Codicem sacerdotalis vitae, tria prae ceteris ante oculos habentes: sacerdotalis ministerii splendorem; humanarum rerum contemptum; hortamenta ex Petri doctrina sumpta. Quaedam addit, nonnulla Ecclesiae Romanae gesta, in bonum animarum illustrans.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 967-976).

3 Decembris 1960 — *All. habita ad Excellentissimum Virum Benedictum Nardone, Consilii Uruquariavae Orientalis Reipublicae gubernandae Praesidem. Benevolentiae erga universam Dicionem confirmat, quorum specimen iam pridem dederat, praeclarum e regione ecclesiasticum Virum ad Romanae Purpurae dignitatem advocando... Incrementum vitae christianae postremis hisce annis habitum libenter laudat, instituta praesertim tuendae iuventuti et opera caritatis.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 978-980).

4 Decembris 1960 — *All. habita catholicis ex Italia diurnariis scriptoribus, qui « Coetui II » interfuerunt a v. « Unione Cattolica della Stampa Italiana » Romae habito. Praesens congregatus coetus superiorum coetuum memoriam inducit, simulque occasionem Pontifici Summo praebet promendi verba gratulationis et commendationis ad pericula vitanda quae gravia profecto manent. Tria deinde consideranda proponit: in opere praeparationem; cooperationem in exequendo; fraternam virium et mentis consensionem.* (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1960, vol. 52, pp. 1014-1018).

8 Decembris 1960 — *All. in Basilica Liberiana habita christifidelibus Urbis, in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis. Ad tria possunt redigi quae peculiari consideratione asserit digna: In primis enim eloquitur de Virgine Immaculata; recolit deinde Pontifices devotione erga Beatam Mariam Immaculatam praeclariores; ac tandem sermonem de Concilio oecumenico instaurat, quod licet adhuc in praeparationis tempore, cunctos tamen christifideles urget.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 30-37).

24 Decembris 1960 — *All. habita E.mis Patribus Cardinalibus ac Romanae Curiae Praelatis, in pervigilio Nativitatis D. N. I. Ch. Beatissimo Patri per E.mum Sacri Collegii Decanum fausta omnia offerentibus. A verbis « Veritas de terra orta est » argumentum sumens, omnes adhortatur ut veritatem excolentes, testimonium reddant suae cuiusque vocationi et christiano, quod gerunt, nomini. Sacerdotes tamen in primis alloquitur, quorum est aliorum comparare aeternam salutem, et quotquot per votorum emissionem Deo sunt sacrati, ac tandem universos excitat christifideles, sive in excelso loco collocatos.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1960, vol. 53, pp. 37-41).

29 Decembris 1960 — *All. habita ad Excellentissimos e Legatorum coetu Viros, qui apud Sanctam Sedem munere funguntur, post fausta ab eis omina ob novum iucundum annum accepta. Socialem et inter omnes nationes Ecclesia cupit instaurare pacem: id iugiter Christi Sponsa docet, id commonet, id requirit. Promulgationem annuntiat sollemnis alicuius documenti quod, septuagesimo recurrente anno ab encyclicis litteris « Rerum novarum » editis, perpetuam Sanctae Matris Ecclesiae sollicitudinem ultro confirmabit.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1960, vol. 53, pp. 41-43).

14 Ianuarii 1961 — *All. habita delectis e multis nationibus Viris qui interfuerunt Coetui decimo v. « du Service Social » Romae habito. Rerum mutationes cum tot tamque frequenter occurrant, latum patet Viris in hunc coetum adlectis laborum spatium: multi enim in praesens dolent inopiam ideoque expostulant auxilium; multi pueri ac senes, natura sua debiles, manum proximo porrigunt opem petituri; multi quoque adulti nullum inveniunt dominum qui eos conducat, et escam sibi ac suis desiderant. Hac de re istius Coetus consilia benigna semper voluntate Ecclesia prosequitur.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 102-104).

20 Ianuarii 1961 — *All. habita delectis Viris, Romae Conventum habentibus e Coetu v. « Assemblée Parlamentaire Européenne » et e transmarinis nationibus Coetui v. « Communauté Economique*

Européenne » consociatis. Dissimiles profecto ethnicae ac sociales notae gentium quarum adstantes Viri sunt legati. nec eaedem sunt sociales condiciones vel sociale incrementum ... Quam ob rem vere est gratulanda congregatio eorum qui suorum civium adsistentiam fovent. (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 104-105).

NUNTII RADIOPHONICI:

13 Novembris 1960 — *Ad terminandas celebrationes Marialis Conventus in urbe Bono Aëre ex utriusque Americae nationibus coacti. Plura edicere cupienti, liceat duo, prae ceteris commendare fidelibus in Conventu congregatis: iugiter devoteque excolant Deiparam Virginem: in Conventu enim provide docteque actum est de Christi Matre. Regnum deinde instaurent caritatis et instauratum confirment* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 980-982).

25 Novembris 1960 — *Christifidelibus Paraquarianae Nationis, ob quintum et vicesimum expletum annum; ex quo « Statio radiophonica cui nomen « caritas » Assumptionopoli aetherias primum misit undas. Multa asserit animabus commoda per huiusmodi stationem allata evangelico urgente mandato: « quod in aure audistis, praedicate super tecta ». De praeterito solacii causa procedit, in futurum ad ampliora capessenda Summus Pontifex excitat.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 982-984).

22 Decembris 1960 — *Omnibus orbis terrarum christifidelibus ac gentibus datus ad celebranda Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi sollemnia. « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis » Gloriam, nempe, Verbi quod erat in principio et ante saecula et homo factum, plenum apparuit gratiae et veritatis. Veritas autem, de qua productus fit sermo, quae iam in Decalogo praecipitur, ubique cogitanda, excolenda, dicenda ac peragenda. Veritas tamen quam iniqui homines omni nisu subvertere nituntur.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 5-16).

6 Ianuarii 1961 — *Catholica statio radiophonica Reipublicae Nicaraquanae a Summo Pontifice hoc nuntio inauguratur. Ominatur ut catholica ista statio sit efficax instrumentum ad illuminandas mentes, et ad errores repellendos* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, p. 106).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO S. OFFICII:

14 Februarii 1961 — *Notificatio* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, p. 107).

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

4 Iulii 1960 — *Mexicanae-Tulancingensis Decretum de mutatione finium dioecesium* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 44-45) .

11 Iulii 1960 — *Coloniensis - Essendiensis Decretum de mutatione finium dioecesium* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 45-46).

26 Iulii 1960 — *Gravinensis et Montis Pelusii Decretum suppressionis Capituli Collegialis S. Nicolai Protontini.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 46-47).

19 Septembris 1960 — *Sublacensis Decretum de Capituli Collegialis Basilicae Concathedralis S. Andreae Ap., in civitate Sublacensi, immutatione.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 109-110).

4 Octobris 1960 — *Curitibensis - de Ponta Grossa Decretum de mutatione finium dioecesium* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 110-111).

8 Octobris 1960 — *Dicionis Canadensis Decretum de constitutione officii Cappellani Generalis Vicariatus Castrensis* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, p. 48).

27 Novembris 1960 — *Orbis - Vicariatus Castrensis Decretum Facultas audiendi confessiones pro militum Cappellanis extenditur.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 49-50).

12 Ianuarii 1961 — *Excommunicationis declaratio* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 111-112).

18 Ianuarii 1961 — 10 Februarii 1961 — *Provisio ecclesiarum.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 108-109).

S. CONGREGATIO CONCILII:

1 Decembris 1960 — *Decretum Novus index statuitur dierum festorum quibus inest obligatio litandi sacrum pro populo.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 985-986).

3 Decembris 1960 — *Decretum De servitio chorali novo rubricarum Codici accomodando.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 966-967).

S. CONGREGATIO de PROPAGANDA FIDE:

10 Novembris 1960 — *De S. Gabriele a Virgine Perdolente de Marañon (de Yurimaguas) Decretum de Vicariatus Apostolici nominis mutatione* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, p. 51).

13 Decembris 1960 — *Durbaniana-Volksrustensis Decretum de circumscriptionum limitum commutatione.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 51-52).

S. CONGREGATIO RITUUM:

20 Iulii 1960 — *Rubagaensis Decretum reassumptionis Causae pro canonizatione Beati Caroli Lwanga, Martyris Ugandensis.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 112-113).

20 Iulii 1960 — *Mediolanensis Decretum introductionis Causae pro beatificatione Servi Dei Georgii Mariae Martinelli, fundatoris Collegii Missionariorum Oblatorum Rhaudii* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 114-117).

12 Octobris 1960 — *Urbis et Orbis. Laudibus in blasphemiarum reparationem nova additur invocatio* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, p. 987).

S. CONGREGATIO de SEMINARIIS et STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:

6 Augusti 1960 — *Decretum Catholica studiorum Universitas Navarrensis in Hispanica dicione erigitur.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1960, vol. 52, pp. 988-990).

10 Iulii 1960 — *Decretum Studium Philosophico - Theologicum Seminariorum dioecesis Insulensis incorporatur Facultati Sacrae Theologiae Insulensis Studiorum Universistatis Catholicae, peculiaribus datis legibus quibus eiusdem Facultatis efficientia ampliatur.* (*A.A.S.*, - 30 Ianuarii 1961, vol. 53, pp. 52-55).

8 Septembris 1960 — *Decretum Institutum Universitarium Magisterii a « Sancta Familia » in civitate « Asmara » canonice erigitur.* (*A.A.S.*, - 28 Februarii 1961, vol. 53, pp. 117-118).

A. S.

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Largo S. Rocco, 1 (Tel. 675.786)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950